BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 D
6 M
P.11. n°36.


FVL
PER IN SY
LA.
PAV
LVV
B.BERNARDI PTOLEMÆI CONGREGATIONIS
S.MARIÆ MONTIS OLIVETI CONDITORIS VITÆ
LIBRI QVINQVE.
Auctore
D.Paulo Carpenterio Neapolitano Monasterij Mon-
tis oliueti de Neapoli Abbate
Neapoli apud
1642

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

D. D.

PETRO MARIAE BVRGHESIO

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE Cardinali ampliſſimo

Oliuetani Ordinis Patrono peruigili.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D. PAVLVS CARPENTERIVS NEAPOLITANVS

Eiuſdem Ordinis Abbas, & ſeruus humillimus deuinctiſſimus F.

EXerit caput redimitum ſtellanti gloriæ ſerto ad auguſtam tuæ purpuræ maieſtatem, facemquè micantem meus Bernardus, Eminentiſſime Princeps, & iam è

caliginoſa obliuionis abyſſo,in qua per tot ſæcula paſſus eſt deliteſcere,tãdem emerſus nõ lumine orbatus,nõ ſqualẽs, nõ tenebris obſitus,ſed centoculus,ſed totus Argus,greſſu hilari ad Te candido amictus indumẽto feſtinat. Et quidem cæleſti fato,quòd ipſe Eremi cultor ſacræ, tacitæq; ſolitudinis ſtudioſus, inter Acconenſium inhoſpita vallium teſqua, & rupes tumulatus opacas cum adhuc in terris huiuſcè lucis frueretur vſura, ab hominum ſubductus oculis, innoteſcere Mundo noluerit; & vita etiam functus idem,per tot Olympiadum tempora,tenore non abſimili, ſe ſpectandum renuerit. Expectabat ſiquidem, ni fallor, Cardinalis ampliſſime; Te militantis Eccleſiæ ſeraphim ſacra ſplendeſcentem purpura,& igne, ſuæ hiſtoriæ, ſuiquè Ordinis Tutatorẽ. Hinc & benè me arbitratus ſum facturum,ſi grauiſſimæ au-

tho-

thoritati Burgheſiæ, exiles meos labores, quibus Beati Patris Bernardi Oliuetanorum poſt Deiparam Conditoris, percenſeo geſta, exhibuero. Quis enim vnquã ambiget, glorioſiſſimi tãti nominis charactere obſignatam hiſtoriam non fore æternandam? Felices meæ lucubrationes, nullo verborũ faſtu, nullo ſententiarum, & floſculorum lenocinio comptæ, ſi læta eas frõte exceperis, tuoquè fuerint patrocinio locupletes. Argentum litteraturæ, & vberrimæ eruditionis aurum non eſt mihi: offero tantùm quod habeo, mei nẽpe calami humile ruſticitatis obſequium. Faxit Deus, vt noſter candidus cœtus tuis ſub auſpicijs (vt maior, & melior pars eiuſdem inhiat, & ſperat) ad ſeueriorem cœnobiticam diſciplinam, & perfectionis apicem editiorẽ conſcendat. Seruet amplitudinem tuam Deus multos annos incolumem

ad

ad ſuæ Maieſtatis maiorem gloriam, ad Chriſtianæ Reipublicæ fulgorem, ad Oliuetani Ordinis noſtri denique decus, virtutumq; cæleſtium incrementum. Vale.

PETRO MARIA BVRGHESIO
CARDINALE
PAVLI V. Maximi Pronepote optimo,
Prudentia Nerua,
Beneficentia Tito,
Grauitate Catone,
Religione Pompilio,
Soſpite, Auſpice,
Optata fruitur luce trecenis poſt annis
Luce clarior
BERNARDVS PTOLEMAEVS.
Sub Principe Senenſe Senenſis adhuc
eruitur Heros.
Aquilæ tegumento non aquilo en Cycnus,
quod olim admirandum, aſſociatus:
immunis ab immani liuoris fulmine
Orbis nubes tranabit cum alite
nubiuaga:
Suauiora concinet modulamina
ad BVRGHESIAE Purpuræ
Mæandrum.

En

En DRACO Hortorum quondam cuſtos
Heſperidum,
nunc Montis Oliueti
non fabuloſæ Ioue natæ Palladi,
at MARIÆ,
Verè Filiæ, Matriq; Dei, dicati,
huiuſcæ opellæ
Defenſor, Tutator.

CANDIDO LECTORI CANDIDI AVTHORIS PROLOQVIVM.

BEati Bernardi Ptolemæi Senẽſis Oliuetanorum Cęnobitarum Parentis geſta, virtutes, & mira multi viri graues ſcripſere, ſed carptim (vt uerũ fatear) potiùs, ſaltuatimquè magis (ſi per paucos exceperis) quã ex profeſſo. At nec deſunt Authores alioqui nobiliſſimi, qui de Oliuetanę Cõgregationis exordio, origineq; inter ſe valde diſcrepẽt. Me aũt, licet cõtexẽdæ tãti Patris vitæ viribus imparẽ, nec piguit, nec puduit

Lucidus Caſſaneus. Pãuinius. Polidorus Virgilius. Raphael Volaterranus. Generbrardus Card. Bellarm.

ad ſubeundam huiuſcè Prouinciam animum appellere, eorum præſertim iuſſu, quibus obſequi, & parere abſquè dubio debeo. Selegi ergo in hac opellula, quæ magis comperta, & hiſtoricæ ſacræ narrationi conſona à probatiſſimis, vel antiquis, vel Nuperis Authoribus enarrantur, excerpſiquè quæ in ijſdem ſparſim cernuntur, atquè in vnum veluti collecta faſciculum ordinatim nexi, alligaui, & in breuiori exhibeo opuſculo quinque digeſto libellis, quorum hæc methodus, atquè epitoma.

Epitome primi libri. In primo enim ea percenſeo, quæ ad Bernardum Ptolemæum prout cõſtitutum in ſæculo ſpectant. Quod nimirum eius fuerit Solum natale; quæ Patriæ dignitas, Senenſis Vrbis deſcriptio, origo, laudes, encomia; quo prognatus noſter Heros ſtipite, quãta Ptolemæorum nobilitas, maieſtas, antiqui-

tas.

tas. Mira eiuſdem poſt emiſſum Deo, Deiparæquè à pijs Genitoribus votũ, conceptio. Fauſtiſſima Matris de albiſſimo Cycno viſio, ſeù cælitus iniectũ eidem ſomnium. Bernardi ortus, atquè cùm in ſpiritu, tùm in litteris Religioſorum ſacra inter clauſtra educatio. Quantum extrà eadem pia ſepta in omnigenis litterarum ſtudijs ipſe profecerit, quo ſpiritus ardore, æſtuquè in Deum flagrauerit, rebuſq; ſacris quo pacto nauauerit operam. Inſuper qua Doctoratus laurea in ipſa ephebia cohoneſtatus effulſerit. Eumdem videbis itidem totum fulgentem in armis, equeſtriſquè gloriæ illuſtrem inter Imperatoris Cæſarei aſcitum proceres, arma tractantem, equitantem. Deplorabis ſciẽtificum ſimul, & militem Bernardum in toga, & ſago (tanta eſt humanarum rerum fragilitas) laſciuientem. Admirabimur Dei noſtrum

Greg. Lombard in vita B. Bernard. lib. 1. cap. 2.

cognoſcentis figmentum, miram pietatem ſua gratia excitantem adoleſcẽtem; qui & Martis caſtra contemnit, floccifacit ludicra, Mundiquè ludibria, Chriſti vexillum alacriùs proſequitur cæleſtibus intentus operibus; neque ocio torpet; impenſius enim, & litterarijs ſtudijs dat operam, & è ſapientiæ cathedris Auditoribus defœcatam, puram, & ſacram doctrinam exhibet. Bernardi ſapientiam quaquè ſublimioribus obſtupeſces tubis decãtatam. Quę, & quanta fuerint à Senenſi Republica demandata Iuueni munia, quouè pacto in conſpicuis ſuæ Patriæ locatus gradibus ſe geſſerit. Quæ ſui ipſius exempla principibus viris, Reipublicæ, atquè Exteris præbuerit. Quæ viri pietas, quæ Religio, qui mores; ſed inter hæc miſeri Bernardi deflebis iterũ caſum, ſcientia turgeſcens, ſuperbia inflatus, ac tumidus excidit

ex illo penè excelſo virtutum apice, iacuitquè in ſæculi vallibus. Pietatis operibus vale dicit; ſolùm uana ſectatur, friuola Mundi oblectamenta. Sæculi iam contemptor ſæculum ardentiſſimè proſequitur, in ijſquè, quæ Mundi ſunt, diſtinetur infelix. Lege, & luge Bernardum deſipientem, vagantem inter ſiluas, & nemora venaticis ſtipatum canibus, ferarum ſectatorem, vel inter fluenta cryſtallina, lacuſquè piſcoſos terentem dies, vel inter vertiginoſas choreas in nocturnis Senenſibus vigilijs vaneſcentem. Miraberis deniquè virum annis grauem repueraſcere, nihil penè cæleſtia curantem, amariſſimas delicias perditè inhiantem. Euehes ſimul diuinæ pietatis viſcera; dũ enim inter inania inani gloria plenior, & leuior verſatur Bernardus ſtatuit, pollicetur, ſe exhibere docentem è ſuggeſtù, ecce tenebris

ple-

plexus, ecce lumine orbatus cælitùs, interq; caligines illas ipſa luce fulgentiores ſeipſum omnium agnouit miſerrimum, votum Deo, Matriquè Virgini pro amiſſis oculis nuncupans, fit voti compos. Luculentam, & admirabilem frequenti auditorio orationem, concionemquè habet de Mũdi ludibrijs, contemptuquè. Pauperibus quæ poſſidet erogat omnia, & omnibus, quæ ſæculi erant, denudatus, nudum ſequitur Chriſtum. In ſqualentis Eremi ſolitudinẽ, omni humano præſidio deſtitutus, feſtinanter ſeceſſit.

Epilogus ſecundi libri.

In ſecundo conſiderabimus inter ſiluas ſilentes, & rupes, concauas inter valles, ſupinoſquè colles ſpectaculum pœnitentiæ Eremitam Bernardum, ipſamquè Eremum factam Numinis mirabilium admirabile theatrum. Spectabis alterum Baptiſtam ſetis tunicatum hirſutis, humiliquè melote præ-

cin-

cinctum, non locuſtis paſtum, ſed oleribus, herbarumq; radicibus; non Iordanis laticibus excutientem ſitim, ſed pluuialibus aquis. Suſpicies hominem in terris poſitum, mente ſolum inter cælites in Empyrio conuerſantem. Fit terra illa deſerta, atquè inuia áduenięntium videndi Dei mirabilia, viſendiq; animo Bernardi, noua Hieruſalem. Audies noſtrum Ducem Deo dicatum eructantem verbum bonum, concionantem de mundanis miſerijs, hortantem cunctos ad ſectanda cæleſtia. Obſtupeſces felicitatem Deſerti, lugebis huius ſæculi miſerias fluctuantis. Non deſunt cæleſti athletæ in Eremi paleſtra pugnæ, certamina, à Mundo, à Dæmone; ſed ſemper victor, triumphator euadit. Videbis laruatos, vel eremiticũ ementitos habitum, vel femineam indutos veſtem, pallamquè inhiantes victoriæ Dæmones. Sed quot paſſus Bea-

tus Pater eſt pugnas, tot erexit trophœa. Cernes è depreſſis vallibus ſcalas ſurrectas argenteas ad cæli faſtigia tas cacumina Bernardo uictori paratas poſt partam de obſcœno phantaſmate palmam, eidemq; ſocijſq; Eremicolis Ieſum, Matremquè Virginem ſeipſos conſpiciẽdos exhibitos Iterum ærumnis Dei ſeruum contemplaberis exagitatum tanquam hæreſeos reum, atq; in Galliam proindè maturãtem Summi Paſtoris in throno Petri ſedentis, Ioannis nempè XXII. iuſſu euocatum, benigniſſimè tandem ab eodem inibi exceptum, gratijs pontificijs locupletem ad Italiam, ad Tuſciam, ad Arretinam urbem, eiuſdem Beatiſſimi Patris nutu, remeantem. Non deſunt longo in itinere multa noſtro Duci rerum diſcrimina. Attollunt ceruices in eum Tartara. Sæuit Mundus, ſæuit caro, ſæuit Cæli inclemẽtia, tempeſtatis rigor;

paran-

parãtur mille thecnæ,fraudes,cõuicia, carceres,cruciamẽta:ſed ſunt hęc Bernardi triũphi,trophœa. Angeli ipſum edocent,dirigunt, cuſtodiunt,nutriũt, ſolantur. Ad genua procumbit tãdem Guidonis Petramalij Antiſtitis Arretinam ſedem regentis Bernardus, pontificias exhibet litteras,eiquè ieiunium triduanum indicitur, ſicut & Eremicolis ſocijs, ut Deus oſtendat, quo ſub uexillo, & teſſera grex ille humillimus ſit contra Inferos initurus certamina.Effunduntur interim preces,ſuſpiria, gemitus, ieiunijs ſerui Dei pallent, cooperiuntur flagris, uarijſquè pijs operibus è cælo auxilium, atquè lumen efflagitant. En Cælorum Imperatrix Beatiſſima Virgo,cuius ueſtis Solis texitur radijs, cuius coma ſiderũ redimitur fulgentiſſimo ſertò ſeipſam Arretino Præſuli oſtendit, oſtenditq; cuius ſub inſtituto Bernardus noſter,

Acconenſeſquè Eremitæ militare ſtatuerit. Ipſa veſtes porrigit niueas, ipſa noſtri inſignia Ordinis, Montes, Crucem, Oleas, ipſa Oliuetanum Montem ſibi erectum, ſibi ſacrum teſtatur. Deniquè candidis Anteſignanus noſter indutus veſtibus, ijſdem conueſtit & ſocios monaſticam profeſſuros vitam inter ſiluas, & teſqua.

Tertij libri ſumma In tertio Bernardum conſpicies, depoſita iam fuſcedine veſtium, totũ candidum, nemorum Angelum, luciſquè filium Patriarchæ Benedicti ſanctiſſimi regulam, iuſſu Guidonis Antiſtitis, immo Virginis Matris, Eremicolis ſocijs, nunc cœnobitis dantem, eoſquè ad illius cuſtodiam cohortantem. Penſitabis tanti viri humilitatem renuentis ſui Ordinis regimen, cuius regit habenas primò Patritius de Patritijs. Secundò Ambroſius Piccolomineus. Deniq; Simon de Thure Se-

nen-

nenſes.Erigũtur Deiparæ templum,& Cœnobitis cellulæ. Atquì ecce furentes Dæmonũ cateruæ, quæ pij viri extruuut,deſtruẽtes.Suſpice interim Archangelũ Michaelẽ lapſum è cælo,inferas fugantem turmas Beati Bernardi precibus, fitquè loci Michael tutelaris,& cuſtos. Euehitur inuitus Beatus noſter Pater ad ſui Oliuetani Ordinis moderamen. Quis illius prudentiam, doctrinam, ſanctimoniam, dignis verbis recenſeat? Poſitus erat omnibus in exemplum. Quæ docuit? Quæ præſtitit? Eo regente nobiliùs Dei, & Matris Virginis domus celeberrima panditur, cuius deſcriptio & hic habetur, minutatim. Humillimus noſter Pater reſpuẽs Rectoris ſedem, vel ſolium in eodem Cœnobitarum precibus perſiſtit,diſciplinam monaſticam mirè prouehit, Oliuetanam Congregationem ponti-

Pij ſecundi Sũmi Pontificis in Itinerario.

ficio diplomate confirmandam curat, ditatquè,augetquè cœnobijs; ſed ecce ambitione, & auaritia, Dæmonis aſtu, tentatur noſter Heros, verùm binos de vtraq; ipſe vnus refert triumphos. Inſidiatur eius itidem pudicitiæ, annis penè fracti, baculo innixi greſſus trahentis, malus Dęmon; verùm ſpiritu in flaccidis membris factus robuſtior victor euadit. Poſt tot bella, & tot Tartari poſt inſidias, ecce Cælorum Regina ſeipſam dat Beato Patri videndam, illumq; tutũ de corona, & futura gloria reddit. Reuelatquè ſeruo ſuo, antequam puriſſimã afflet animam, Deus arcana diuina. Apparet eidem Monachorum coriphœus Benedictus, diemquè ſui obitus clarè denunciat. Euolaturus ad Cælum Monachos deſtinat per villas, cõpita, pagos, Xenodochia, vt peſte laborantes adiuuent verbis, varijſquè laboribus, ut in eorum cùm

animorum ſalutem, tùm ſanitatem corporum operam nauent; Ipſe uerò inter eos charitatis Princeps in ægrotantium pariter curam totus incumbit. Fratribus, & quos in Chriſto genuerat filijs, ſuum patefacit obitum, diem, & horam. Concionem habet feruentiſſimam, hortatur ad regulæ cuſtodiam. Tandem diuinas inter ulnas molliter fotus, interquè charitatis uerba, & pſalmorum concentus Cælo inhians eius anima puriſſima ad Empyrij coronam euolat. Non deſunt poſt animi egreſſum feliciſſimum multa mira.

In quarto per Beati Patris nonnullas percurremus uirtutes, quanta eius fuerit humilitas, quantum precandi ſtudium, quanta pænitentia, quot ei largitus Deus gratiarum dona cæleſtia. *Quarti libri compẽdium.*

In quinto, & ultimo deniquè quæ- *Quinti libri concinſio*

dam

dam mira in medium afferemus ex ijs, quæ hucuſquè habemus comperta, & excerpta poſt trecentos, & amplius annos, fidiſſimis, & probatiſſimis ex Authoribus. Stylum aliquantulum fortè floridum, & ab hiſtorica ſeueritate recedentem affirmaueris; ſed cum de re ſacra agamus, pretium operæ duximus auribus etiam, ac delectationi conſulere, Scriptores ſacros plures imitati. Digredimur multoties, & per quædam eruditione digna excurrimus. Profana (ne hilumquidem à veritatis fundamento recedentes) interteximus, & pleraquè uerosimilia, ut ſoliloquia, conciones, præcepta, deſcriptiones, grauiſſimos ſecuti Authores; qui & iuuare, & delectare ſtuduerunt; nè legentes, etiam perbreue opuſculum, tæderet. Quarè ea omnia ſuperflua minimè putauimus. Suffecit tandem nobis, ne inerti ſilentio geſta,

lau-

laudeſquè Beatiſſimi Parentis Bernardi præterirent, nec perpetuò laterent in clauſtrorum receſſibus, atquè angulis cellarum. Si quid boni, Amice Lector, noſtris in lucubrationibus deprehenderis, Deo, omnium bonorum inexhauſto fonti referas; ſi quid mali meæ tribuas inſcitiæ, meiquè calami ruſticitati. Benèuale.

INCERTI AVCTORIS

B. BERNARDI PTOLEMAEI

Diuinitus excœcati reſipiſcentis

PROSOPOPAEIA

ODE

AT ò nitentis Arbiter mundi potens
Sator, parenſq; luminum.
Scelerum ſeuerus vltor, & vindex Deus,
Idemque mitis parcere:
Da pronus aurem ſupplici, & noſtras prius
Nil non valere da preces.
Solis nitentis orbitam, & purum diem
Videre caſſum lumine
Aequus negaſti; Palladis vanæ ſequax
Dum lubricas tero vias,
Tumidaſque fibras cordis auræ ſpiritu
Ambitioſus impleo:
Senſi ſeuerum vindicis dextræ flagrum
Sat doctus heu malis meis:
Nunc parce lentus iræ, & errantem diu

Inter tenebras mentium
Redde ò diei pronus : En menti nouum
Affulſit è cęlo iubar
Liceat nitentis igneas lucis vices
Solemque & aſtrorum decus
Oculis tueri, redde poſcenti diem
Et priſca fronti ſidera.

Patris Ioannis de Ribadineijra Societatis Ieſu.

D. PAVLO CARPENTERIO

Montis Oliueti familiæ Abbati meritiſsimo.

Obſtupuit Antiquitas,
Quod Cæſar calamum, & gladium feliciter
pertractarit:
Admiretur hæc noſtra ætas,
Quod, tu Paule, & ſcribendi ſtylum,
& lances Aſtreæ
Feliciſſimè exerceas.
Anceps pendet in libra animus
Cui primas ferat,
Prudentiæ ne qua regis,
An ſapientiæ qua ſcribis?
Præſulum norma quod ita præſis,
Auctorum gloria, quod ita exares.

Sed merito pro ſtemmate vtrumque iactá,
Et Benedicti Coruum, & Palladis Noctuã.
In Cœnobio, cui nomen Mons Oliuetus,
Typis mandanda es meditatus;
Vt nihil non ſublime feras,
Qui laudibus in Cælum ferris.
Nihil à Pallade non auſpiceris,
Quæ tibi famulatâ luce prætulit,
Vt in Solem prodires.
Quàm auſpicatum tui operis prælum,
Præliũ obſcuræ obliuioni perpetuò illaturũ!
Quam ſplendida literarum ſigna,
Quæ veluti militaria ſibi ſecula obliterantia
deuincient.
Inuidit Alexander Achilli,
Quod Homerum ſortitus eſſet hiſtoricum.
Inuideret in præſentia,
Quod B. Bernardus in vitę ſuæ ſcriptorem
Te de Cælo delegerit.
Docentẽ Beatum è Cathreda dũ deſcribis,
Auditorem Famam habes,
Non ſurda buccina te prædicabit,

Quòd

Quòd eius adſtrictam Religione
Exponis doctrinam;
Quod catenulis ſcribendi aureis
Felicior Hercule Gallico
Animos Deo deuincis.
Neapolitanus Neſtor
Candidum ſortitus tegumentum
Lacteam præfers orationem,
Melleus nō minus in baculo, quā in calamo,
Dū Beati Bernardi geſta ſuauiſſimè digeris.
Nec ideo viperinos timeas Ariſtarchos,
Quando tua inſueta lactis dulcedine,
Vel ſerpentes hebetantur.

Patris Ioſephi de Campora Societatis Ieſu.

IN AVCTORIS LAVDEM.

Elogium.

Felix argumento, Felix ſtylo
B. Patrem Bernardum Ptolemæum vitæ
integrum caſtigatus ipſe Narrator
exornas.
Eius morum puritati vnus accedere poterat
tui candor ſermonis.
Incertum, vter felicior, an ille agendo quæ
ſcriberes, an ipſe ſcribendo quæ egerit
Illud tamen certum, & fixum
Vnum te geſta eius præclara edere potuiſſe
in lucem
Hinc feſtiuè, reor, laudabunt te Poſteri:
Quòd Religioſi Parentem Ordinis Pius Tu
filius in lucem edideris.

Quin

Quin bellè etiam dicent accidiſſe,
Vt ille nunc tibi pium cedat in librum, qui
præceſſerat magiſter pietatis
Verùm quàm egiſti pręclare!
Vt ſanctiſſimi mores parentis exprimerent
Poſteri, literis imprimendo curaſti
Mandaſti typis, vt hærerent altiùs animo.
Sed vnum Te in primis crediderim inſi-
ſtere paternis veſtigijs, qui vitæ cur-
ſum tam probè inueſtigas
ac prodis.
Ceterùm commodè tibi hiſtoriæ argumen-
tum Bernardus Ptolemęus obuenit.
Vt non vnum Ptolemæum iactet Poſteritas
illuſtrem mathematico radio, ſed alte-
rum, à tuo nempè præclarum
hiſtorico ſtylo.

PAVLO CARPENTERIO,

Qui

E viretibus Romanæ pratis Eloquentię non paulò carpit ſudorę floſculos: in appingendo Bernardi Deſerto diſertus: calamo thalamum cõſternit: immortalitati: Struit liuori tumulum, virtutum cumulo: Neſtoris fluenta, Platonis apes, Periclis tonitrua, Alcidis renouat catenas: Suadæ medulla.

In cuius

Characꝉere Charites accinunt, plaudunt lepores, ſaliunt ſales: Cato grauitatem, lenitatem Lælius, impetum Gracchus, calorem Cæſar, Hortenſius diſtributionem, argutias Caluus, parſimoniam Saluſtius, opulentiam Cicero deſiderant nequicquam.

Cuius

Cuius
Atramentum vulgi fœcem non olet, obliuionis toxicum: elemẽta Æternitatis alimenta manus Pallados eſt munus:
nec mirum,
Cum inter Oliuas, quarum Pallas inuentrix, æuum ipſus exegerit:
Hocce Perpetuæ monimentum obſeruantiæ poſuit.

Ioſephus Baptiſta.

D. Bernardi Mater parere Cycnum ſomniat.

D. Ambroſij Marię Piccolominei de Aragona Monachi Oliuetani Epigramma.

Lumina lethæo ſepelit dum Fuluia ſomno,
Sedibus aſtriferis ſomnia miſſa videt.
Expoſuiſſe putat ſinuoſo è viſcere fœtum,
Iſque nitet niueo tegmine blandus Olor.
Stipatus turmis liquidas euerberat auras,
Nubila mellito murmure Ductor arat.
Grande omen, fatale ſolo. Cycnumquè Therapnæ
Tyndareæ diſcant nunc reticere ſuum.
Pacem prole noua, propria certamine ſtirpis,
Hic feret Auſonijs, perdidit ille Phryges.

Cellulam D. Bernardi Dæmon demolitur.

D. Pauli de Gueuara Monachi Oliuetani Epigramma.

ASſurgit vix cęca inter ſpelęa ferarum.
Bernardi exili ceſpite facta domus:
Diruis illius fragilis fundamina muri
Cùm violenta phalanx agglomerata ſtygis
Luctiſoni tetros Orci modo cernito mores,
Diuerſoque dehinc diſce tenere Polum.
Euertit caſulas humiles Regnator Auerni,
Fulminat aſtripotens tecta ſuperba Deus.

PATRIS CAROLI AB HERCVLE
Societatis I E S V

AD AVCTOREM

Epigramma.

Historię mandare Tibi bene contigit vni
Quo Ptolemęus ſidera calle premat
O decus Auſoniæ, Noſtris Lux addita terris,
Nectareum Syren cui dedit ore melos
Omnia par Graijs; par omnia Scriptor Hetruſcis
Par Latijs, calamo poſtera ſecla beas
Lethæos vicisse lacus Tua nomina poſſunt,
Cælica dum Letho Tu monumenta rapis.

IDEM

IDEM
Ad ęundem.

O Mihi quæ celeres vrunt pręcordia flammæ!
O mihi quæ calamo fulmina miſſa iacis!
Ferte prècor fontes, date vos mihi flumina fluctus,
Scilicet vt flammas temperet vnda meas.
Audior. èloquij liber hic ſua flumina fundit
Nam fluit ex illis lactea vena notis.
Mira fides! gelidis ſociat liber hic incendia lymphis,
Vnda dedit flammas & dedit ignis aquas.

IDEM

IDEM

Ad eundem

B. BERNARDVM PTOLEMÆVM

Diuinitùs excœcatum, ac deinde reſi-
piſcentem hiſtorię mandantem.

P*Anditur hiſtorica magnum tibi mole theatrum,*
Ac tua lethæis fama reuixit aquis
Fortunate Heros, oculos tibi reddidit olim
Virgo; nunc calami munere vita redit.

PATRIS BARTHOLOMÆI
De Rogatis Societatis Ieſu
Ad Paulum Carpenterium Abbatem
Vitam B. Bernardi Ptolemæi ſcribentem.
Epigramma.

SCribis, & æternis inſcribis nomina faſtis,
Nomina diuinus quæ bene ſignat honor.
Marte ſuo ſuperis Tolomæus viuit in aſtris,
Marte tuo celeber viuit in ore virum.
Illum ſublimem deuexit ad æthera virtus,
Quem tua ſublimem nunc quoque penna leuat.
Scriptorem, ſcriptumque ſimul mirabitur ætas
Omnis, & attonito ſic dabit ore ſonos:
Tam bene qui vitam traducat non erit vllus,
Vitam qui ſcribat tam bene nullus erit.

PA-

IDEM
Ad eundem.
Aliud

TAm bene Paule tuus per te deſcribitur heros
Viuat vt in chartis mortuus ille tuis.
Immortalis erit qui te Scriptore per orbem
Euolat, & gemino viuet honore Sacer
Et pietas illum leuat, & tua penna per auras
Vtraque dat longos ducere poſſe dies.
Nec potuit pietas meliori in pectore condi,
Deſcribi calamo nec meliore poteſt.
Quid loquar? heroas cum fama attollet in altum
Optabit penna poſſe volare tua.

Facultas Abbatis Generalis.

D. VALERIANVS SCALEA A Brixia Abbas Generalis Oliuetanus.

BEati Bernardi Ptolemæi vitam in libros quinque digeſtam, Authore D. Paulo Carpenterio Neapolitano Congregationis noſtræ Abbate Sanctæ Mariæ Montis Oliueti Neapolis; Cum ij ex noſtris, quibus demandauimus, recognouerint, probauerint, dignamquè prelo cenſuerint; Nos quod poſſit eidem ſubijci, ac in lucem edi, quantum ad nos attinet, tenore præſentium licētiam facimus. Mediolani. Ex noſtro S. Victoris ad Corpus Cœnobio. Nonis Decembris 1641.

D. Valerianus Scalea Abbas Generalis Oliuetanus.

D. Dominicus Minutulus Abbas, & Canc. de Man.

Approbatio, & licentia Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ.

EGo Don Io. Dominicus Auliſius Sacræ Theologiæ Doctor, Collegij Theologorũ vnus è Magiſtris, Eccleſiæ Sanctæ Metropolitanç Neapolitanæ Præsbyter Canonicus, Pœnitentiarius; Sancti Officij Inquiſitionis Conſultor, & librorum Cenſor.

B. Bernardi Ptolemæi Senẽſis Cõgregationis Oliuet. inſtitutoris Acta, Authore D. Paulo Carpenterio eiuſdem Ordinis Abbate meritiſſimo conſcripta legi, & eruditam elegantiam ſtyli mirè laudo: Quibus, hiſtoricam fidem habendam tantam cenſeo, quæ puræ narrationis certitudinem, haud quaquam ſupergrediatur, omni iudicio Sedi Apoſtolicæ, quod ad Beatitatis, aut Sãctitatis declarationem, ac miraculorum euidentiam attinet, penitus repoſito, ac reſeruato. Quãuis adnotare nõ prætermittam illius B. Bernardi, graues, ac probatos Auctores vitam, ac geſta ſcripſiſſe. Inter quos, Benedictus Gononus Burgenſis Monachus Cœleſtinus Lugdunenſis lib. 6. de vitis Patrum Occidẽtis, pag. 385. col. 2. qui, ſpeciatim recenſet, à B. Virgine Bernardo oculorum lumine repentè orbato lucem reſtitutam, Fr. Philippus Ferrarius Alexandrinus Ordin. ſeru. B. Virg. In catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, Typis mandato, Ann. 1525. dictum Bernardum appellat Beatum, vt videre eſt XI. Kal. Septembris, quem, in adno-

tatio

rationibus dicit,è vita migraſſe Anno 1348. Siluanus Raz refertur Bernardi vitam narrare lib. de SS. Hetruriæ, necnon Hiſtoria Monaſtica Diario primo. Inſuper D. Arnoldus Vvion Belga Duacenſis, Monachus S. Benedicti de Mantua lib. cui titulus, Lignum vitæ, edito, Anno 1595. vbi xı. Kal. Septembris, appellat præfatum Bernardum, Sanctum. De quo, prætereà agunt Raphael Volaterran. lib. 31. Anthropologiæ. Lellus Zecchius de Repub. Eccleſiaſt. in tractatú de Religione. Alphonſus de Caſarubios in eiuſd. compendij priuileg. FF. Minor. & aliorum Mendicant. Platus de Bono ſtat. Relig. lib. 1. c. 34. & lib. 2. c. 22. Philippus Bergomenſis in ſupplemēto. Hi omnes apud Benedictum Gonoñum ſuprà citato loco, dicētē ſe nunquam legiſſe Bernardum Ptolemæum fuiſſe canonizatum. Cuius etiam vitam ſcripſit Ioãnes de Populonia Ordin. Prędic. Mag. & Doctor, ac in ditione Senenſi quæ ſunt Sancti Officij. Itē Gregorius Lōbardellus, opuſc. tribus libellis digeſto. Michael Angelus Bonhauerti Ferrarienſis Dialogo ad Nuperos Oliuetanos. De eodem agitur in Hiſtoria Oliuetana. D. Marius Matteſillanus Bononienſis in vernaculam linguam tranſtulit orationē B. Bernardi Oliuetan. [illegible] Fũdatoris, latino idiomate ab eo habitam, quam eruditionibus plurimis exornauit, & hanc etiam orationē à multis mēdis expurgauit, Horatius Lombardellus Frater Gregorij Lōbard. vt hic teſtatur lib. 1. vitæ eiuſdem Ptolemæi, c. 12. His adnotatis, concedi poſſunt Typis. Neap. 16. Apr. 1642.

Idem qui ſuprà D. Io. Dominicus Auliſius.

Imprimatur.

Alexander Ruſſus Canonicus,& Vic.Gen.

Andreas Letteresius Can. Dep.
D.Io.Dominicus Aulisius Can.Dep.

Facultas Regia.

Illuſtriſſ.& Excellentiſſ.Domine.

D. Paulus Carpenterius Abbas Monaſterij Montis Olìueti de Neapoli, Beati Bernardi Ptolemæi vitam conſcribit, maxima animi obſeruantia erga ſui Ordinis Oliuetani Parentem, & Conditorem, nihilquè interſerit, quod Potentiſſimi Regis Hiſpaniarum, aut Regni Sáctionibus contradicat. Immò, Chriſtianam Religionem fouet; à qua, tanquam à Sanctitatis fonte riui profluunt Sanctorum virorum. Valeat Excellentia tua diutiſſimè fœlix. Neapol. 16. April. 1642.

Illuſtriſſ.& Excellentiſſ. Dominationis tuæ

Addictiſſimus Seruus

D. Io. Dominicus Aulisius.

Vidit Arias de Meſa R.Conſ. pro reuiſione librorum.

IMPRIMATVR.

Tappia Reg. Zuſia Reg.
Brancia Reg. Sanfelic. Reg.

BEATI BERNARDI PTOLEMAEI SENENSIS,

Congregationis Sanctæ Mariæ Montis Olиueti Conditoris Vitæ

Liber Primus.

BERNARDVS IN SAECVLO.

Eius Patria.

Cap. I.

VRbem Senam nouerit nemo, qui ceteras inter Vrbes, nè dum Hetruriæ, ſed Italiæ penè totius ſat ſpectabilem non credat. Aſſurgit illa monte feraci, ſeù potius amœniſſimo colle non longè ab Arbiæ fluuio diſſita, ſuaquè ſe ſpontè in cælum erecta clementer, vernantibus redimitur ſuperba ſiluulis, terræquè ſemper, ſeù herbeſcentis, ſeù *Sena deſcriptio.*

florētis delicijs, ac diuitijs fruitur. Sidus enim influens adeò benignum quid inſpirat, vt Solum fructibus fecundiſſimum, plurimiſquè faciat fœtum frugibus. Publico inſuper omnis litteraturæ Lycæo celeberrima, ſacrarum ędium ornatu nitens admirando, ædificiorum pompa, turriumq; celſitudine inſignis, maieſtate demum, antiquitate, ciuiliquè decore maximis ipſis fortè anteferenda. Gens ipſa cultior, & mitior, patiens laboris, ſtudijs inexpleta, munifica in exteros hoſpitalitate, ingenio dulci, linguæ ſono, ſermonis candore, nulli certè gentium Italo ſub cęlo ſecunda. Iacet inclyta hæc Vrbs, ad poli altitudinem gradu ſecundo, & quadrageſimo, minutis additis quinquaginta, vel, vt alij ponunt Mathematici, gradu quadrageſimo tertio, ternis additis minutis, ſed penès ipſos fides de hoc ſit omnis; Eurum à Valleplana, eiuſquè paludoſis ſtagnis excipit Sena, ſub Fauonium Tyrrhenū proſpectat mare, Volaterras, Piſas, & Arnum fluuiū; Hetruriæ multum pelagus in Auſtrum, & Argentaurum montem; ad Boream verò, Florentiam, Bononiam, Apenninumquè, Italiam interſecantem, habet.

Senenſium laus.

Senæ poſitus.

Non eadem de Senæ origine, & conditoribus Scriptorum ſententia. Illud tamen magis inconfeſſo, VRBEM ESSE VETVSTISSIMAM, cuius nimirum Plinius, & Tacitus hiſtorici, & ipſe Geographus Ptolemæus meminerunt. Sed nec deſunt qui aſtruant à Senio Remi filio, Romuliq; nepote acerrima patrui declinaturo odia, Roma

Senæ origo. Plin. l. 3. hiſt. natur. Tacit. l. 2. Ptol. in geogr.

pro-

profugo, cõditam, & ex ſuo Senij nomine Vrbem Senam dixiſſe, adduntquè hinc Senenſes Lupam gemellis recèns natis præbētem lactantia ybera; Romuli, Remiq; inſigne, & priſcum ipſius Romæ ſtemma, ad hæc vſq; oſtentare tempora. *Sena ſtemma.*

Habuere Senam, bello fractis Tuſciæ populis, à principio Romani, deductiſquè illo Colonijs Publio Corn. Rufino, & M. Cur. Dentato Conſulibus, per Præfectos rexere. At Romano deflectēte Imperio, ſub Odoacre fuit Erulorum Regē Arriano, quem in Capitolio ipſe Romanus Populus, & Vrbis, & Italiæ Regem acclamabundus cõſtituit, regnauitq; Odoacer omniũ primus poſt Auguſtulum, in quo occidētale Imperium ab Auguſto glorioſè erectum miſerrimè occidit, tenuitq; Italiam annos ſexdecim; donec Theodorici, etiam Arriani hæretici, Gothorum Regis, armis oppreſſus, victus, doloquè (pacto fœdere) peremptus, in Gothorum ditionem gentis efferę, Italięquè peſtis, Sena redigeretur. Imperat Theodoricus, de Bulgaris triumphat, Pannonicam coronam Italicæ addit Tyrannus iuxta, & ſacrilegus annos vigintiquatuor. Amittit dein Regnum, ad cuius iam vita functi euehitur ſolium, Amaleſunthæ matris opere, Athalaricus adhuc puer octennis, cui è viuis ſublato ſuccedit Theodatus eiuſdem Amaleſunthæ, Gothorum Reginæ, artibus, feminæ litteris ſupra ſexum excultiſſimę, inſigniquè prudentia præditæ. Hanc ipſe Theodatus Regni potitus, beneficij immemor, omniũ ingratiſſimus, exilio, & capite mulctat; ſed & ipſe *Sena qui potiti.* *Sena ſub Romano Imperio.* *Sena ſub Gothis.*

ignauiſſimus, & bellicæ artis penitùs expers, tribus in Regno ſtolidè exactis annis, à ſuiſmet Gothis, tanquam indignus Imperio, multis plagis confoditur, & ex Dalmaticis oris vocant Gothi Vitigē, qui horrenda armorū illuuie in Italias plagas ruit, ſed à Beliſario ad Rauennā victus, catenisq; vinctus ab Italia, cuius ſceptrum quatuor tenuerat annos, Conſtātinopolim fortunæ blandiētis, & ſæuientis ludibrium, in triumphum trahitur. Subijt dein Regnum Theobaldus, lapſoquè anno perimitur, & ad Regni faſtigium aſſumitur à Gothis Araricus, quo etiam, vix tribus expletis mēſibus, necato, Italiæ Rex conſtituitur Totila, eius nepos, bellicis artibus præclarus, ingenio tamen efferus, & truculentus. Verùm monitis Benedicti, Sanctiſſimi Monachorum in Occidente parentis, cuius rumor ſanctitatis, & miraculorum Orbem penè vniuerſum peruaſerat, mitiorē ſe præſtitit. At varios poſt bellorum euentus, Narſetis, vel, vt alij aſſerunt, Longobardorū pro Imperio prælian tium, decimo Regni anno armis funditur, nec nō, vt ei ſpiritu prophetico à Diuo Benedicto præſagitū, occumbit. Poſt Totilam, fuit in Regno Theias nouiſſimus Gothorum omnium in Italia Rex, qui à Narſete Iuſtiniani Imperatoris Eunucho, & à conſilijs primo, dirè perimitur. Bello tandem fuſa Gothorum barbarie, qui infanda ſeruitute annos ferè quinquaginta duos Italiam oppreſſerant, ad Græcos (tanta eſt Regnorum inconſtantia) tranſit Imperium. Perditis hiſce temporibus toti Orbi infauſtiſſimis, quibus vexabantur Ca-

Sena ſub tacis.

tholici in Africa à Vuandalis; Occidentis Imperium ſub impio Anaſtaſij Euthichiani hæretici ſceptro fundebat lacrymas. Italiæ, Hiſpaniarum, Africæquè ampliſſima Regna Arrianorum iugo premebantur tyrannico; Gallorum verò, Anglorum, ac Germanorum latè effuſæ regiones ſub gentium tyrannide gemebant; in tantâ Orbis ſqualentis caligine tetra, nunquam Catholicæ fidei lumine, radioquè puriſſimo deſtituitur Sena; quæ ſub Græco Narſete fuit, Italiam, Ducis aucto titulo, moderante, decem, & ſeptem annos; fuiſſetquè ſub Græcis diutiùs, ni ipſe Narſes Sophiæ Imperatoris vxori indignatus, Longobardorum arma in Italiam acciuiſſet. Fuit Narſes vir bellica laurea vbiquè clariſſimus, ſed Phocæ periuri proditione, antiquos gloriæ candores nimis impio vorante fumo, viuus igne abſumitur. Senenſes diù fuere ſub Longobardis Regibus, quorum primi Alboinus, & Clephis, quibus, inuidente fortuna regnantibus, variè necatis, Duces Longobardi abſquè Rege per annos decem Italicas ſibi diuiſere prouincias; ſed conſtitutus Rex deniquè Autaris Longobardus, ſeptem annos regnat; Agiſulphus quinos, & vicenos; Adaluualdus decem; Arionaldus, hæreticus Arrianus, duodecim; Rotaris decem; Rodoaldus quinque; Aripertus duos; Gudipertus vnicum; Grimoaldus, & Garibaldus nouem; Tertaritus decem, & ſeptem. Hoc regnãte Principe pio ſatis, atq; ad res diuinas mirificè pro; ẽſo, generalis Synodus, iuſſu Agathonis Pont. Max. anno repara

Sena poſt ſuſceptam fidẽ ſemper in eadem conſtãs.

Sena ſub Lõgobardis.

*Monotheli-
rum hære-*

*Sena inter
urbes connu-
merata.*

*S. viro An-
ſano Chriſti
fide imbui-
tur.*

-æ ſalutis ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto Cõſtantinopoli habetur contrà Monothelitas vnam in Chriſto Domino aſſerentes voluntatem, operationem, ac proinde naturam; *Vitalianus* interfuit inter Catholicos illos Patres, ſequè Concilij decretis ſubſcripſit, obſignauitquè: *Sanctæ Senenſis Eccleſia Epiſcopum*, ſed condecorauerat iam Ciuitatis titulo Senam Ioannes Primus, qui ſedem Petri tenuit poſt Hormiſdam Anno à Matre Virgine vigeſimo quarto ſupra quingenteſimum, tunc cum prima monaſticæ diſciplinæ in Occidente à Diuo Benedicto iacta fundamina. Euangelium verò ſuſcipiunt Senenſes Anno corporati Dei tertio, & trecenteſimo, pro Petro ſedente Marcello, imperante Diocletiano, à Sanctiſſimo Viro *Anſano*, qui in eadem Vrbe martyrium pro fide, quam inibi ſeuerat, Diocletiano Octauùm, Maximiano Septimùm Conſſ. ſtrenuiſſimè ſubijt. Tertarito Longobardorum Regi Cunipertus, & ipſe Catholicus in Regnum ſucceſſit, in eoquè fuit annos duodecim; Luitpertus verò Regimpertus, Ariapertus, Aſpirandus regnauere ferè totidem annos, at Luitprandus, & Hildibrandus, annos ille viginti, hic menſes ſeptem. Rachis vero ſex, qui Zachariæ Pontificis pietate eruditus, regio abiecto diademate, cum Chriſto apud ſuperos regnaturus ſub Diui Benedicti inſtituto monaſticam init vitam. Potitur corona poſt Rachim Aiſtulphus annos ſex, poſt quem omnium Longobardorum nouiſſimus Deſiderius annos decem, &

octo

octo regit Italiam, à qua tandem pulſis, poſt annos ferè centum octoginta octo, Longobardis, tranſlatoquè Regno ad Francos, fruitur Sena Pipini filius Carolus cognomento Magnus, anno nati Numinis octigenteſimo, qui, barbarico à Senenſibus excuſſo iugo, libertatem inſtituit.

Sena ſub Francis.

Libertas huius Reipublicæ varias nouit ſeries. Optimates primùm, exploſo vulgi arbitrio, eam rexere; Populi dein ſubiacet principatui. Armis, & viribus Reſpublica viguit, magnamquè ſortita gloriam ex inſigni illa montis aperti de Florentinis victoria ad Arbiæ flumen, tribus millibus trucidatis, & in prælio quatuor millibus captis, eorumquè curribus, & vexillis detractis. Poſtremò ciuilibus diſcordijs feſſa, & obruta (Nihil liberioribus Vrbibus infeſtius) exteris proinde victa, & triumphata armis ſub monarchicum magni Hetruriæ Ducis redacta tandem Imperium, trãquillè degit, ſperatq; glorioſiſſimo ſub Principe Mediceo, antiquis diſcordiarũ deletis cicatricibus, ſęcula ſe ducturam fauſtiſſima.

Sena Reſpublica armis, & viribus floridiſſima.

Senenſium de Florentinis victoria.

Sena diſcordijs ciuilibus ſciſſa.

Sena ſub magno Duce Hetruriæ.

Clariſſima inſuper extitit sẽper Sena viris præclariſſimis, quibus omni ferè tempore affluit; non enim illi, & togarum, & ſagorum defuere gloriæ, non infulæ, non ſacræ purpuræ, oſtriquè tyrij maieſtas, non Summorum Pontificum diademata tergemina, quæ omnia & vetuſtiora incorrupta monimenta, & ipſa hæc noſtra ætas luculentè teſtantur.

Sena illuſtris à togis, & à ſagis.

Auguſtiſſimè poſtremò Vrbis emicat ſuis vndiquè coronata filijs, incorruptæ pietatis, religionis inte-

Senarũ Alũni ſanctitate florentes.

integerrimæ, inſignis ſanctimoniæ, morum, & meritorum gloria illuſtribus viris. Prouidum enim decebat Numen, vt Tuſcia nobiliſſima Italiæ Regio, augurandi inanis artis magiſtra, & inuentrix, extiſpicum, atquè auriſpicum, fulgurumquè interpretum vndiquè plena, fœdæquè religioni apprimè addicta, fieret poſtmodum (diuino Sole Chriſto in terris viſo, & noſtra tecto humanitate illuceſcente, diſiectis ſuperſtitionum tenebris) veri cultus exemplar, & Sena ſeminarium propè euaderet omnis integritatis. Sena Bernardinum edidit ſeraphicæ familiæ inſtauratorem, qui vt loquitur Summus Pontifex Pius II. Italiam obambulauit prædicando, in vitia fulminauit, virtutes erexit. Sena Catherinam Virginem Ordinis Diui Dominici ſeraphici in amoris notam Redemptoris ſtigmatis manibus inſignitam; eadem Ioannem Columbinum Ieſuatorum authorem; Stephanum Carthuſienſium inſtituti propagatorem, alioſquè innumeros Eccleſiæ Heroas, quos inter omni ex parte recenſendus Bernardus Ptolemæus Senenſis ſuæ Patriæ ſplendor, totius Tuſciæ decus, Italiæ gemma, Orbis ornamentum, Eremi gloria, monaſticæ collapſæ diſciplinæ fulcimentum, nouum Cæli ſidus, & Sol fulgentiſſimus, quem parentem, quem Coriphœum candidus Oliuetanus cœtus agnoſcit, colitquè, cuius vitæ ſeriem, & admiranda, glorioſiſſimaquè patrata facinora, quæ hucuſquè habui ex incorruptis, vel calamo exaratis, vel typis editis, ſi diſſimiſquè tabulis poſt trecenteſimum ſupra ſe-

Beati Bernardi Ptolemæi encomium.

xage-

xageſimum quintum annum rudi calamō, auſpicante Numine,aggredior,Inclyto Pate ti humillimi filij debitum certè laborem.

Bernardi Ptolemæi genus.

CAPVT II.

NIhil minùs ſancti viri habuere, quàm generis claritatem, eorum nempè, & deliciæ, & gloriæ Crucis opprobria. Nihil prodeſt probro sè degentibus auita nobilitas. Ex obſcuris ſæpè genitoribus illuſtriſsimi filij, & ex Parentibus Auorum fumoſis imaginibus claris quoties orta famoſa proles, & eò merſa fumo, quò antiquos ſplendores turpisſimè nigrantes fecerit? Paſsim molles roſæ ſpinoſo è cæſpite prodeunt, & ex graueolentibus herbis conſurgunt inter flores venuſtate,& odore triumphantia lilia. Abeunt ſæpè ſemina in degeneres fœtus, & optima ſeges infelix in lolium, & ſteriles auenas. E pulcherrima Rebecca naſcitur Eſaù ſetoſus, & horridulus, ramum ſtipitis tam venuſti crederes portētoſum. Nemo ſibi generoſo deſperet. Dabit euicta tandem fortuna triumphos claros magis, quò fuerit ortus obſcurior. Nemo alieno, ſed ſuo vitio decoloratur. Omne genus negat,qui opera genitoris non exprimit. Nouerat Adam mortalium primus ſolùm Deum genitorem, ſed culpa ſordeſcens è Paradiſi aula eijcitur,eripitur ab eius manibus latè effuſum Vniuerſi ſceptrum, & pro ſce-

Spreta Nobilitas.

Geneſ. 27.

Vera nobilitas ex virtute.

Geneſ. 1.

Geneſ. 3.

ptro, vili donatur ligone. En homo ruſticus, qui iã penè diuinus; en rudis terræ foſſor, Orbis iam Princeps; & vxor eius Eua iam virago, nunc vorago malorum, villica ducit fuſo ſtamina, & quorum ob collatum Mundi Imperium frontes, & tẽpora aureis ſplendebant coronis, vigilibus nunc ſcatent ſudoribus, reatus, & laborioſæ ſeruitutis miſerrimis trophœis. Quis ergo virtutis expers ad ſanguinis ſplendores eriget criſtas? Inſigniuit Deus nomine filij primogeniti ſui Iſrael, ſed vitijs ſordeſcens eijcitur, diſpergitur mancipiũ gentiũ, opprobrium, riſus, & ſibilus. Seipſum abiectæ conditionis fatetur Zacharias, virum nempè agricolam ſarculi primi Parentis hæredem. E carcere eductum Ioſephum moderatorem Aegypti conſtituit Pharao, non quòd claro ſit progenitus ſtipite, verùm quia Spiritu afflatus diuino, ſecretiora cæleſtis aulæ dignouiſſet arcana. Euehitur ad regale faſtigium Saul è viliori miniſterio, & dum Aſinas quærit, Regnum inuenit. Ab ouili ſuſcipitur Dauid ad coronam, ex paſcẽdis ouibus ad populos regendos, à baculo erigit manum ad ſceptrum. Ad diuinum Sacerdotium eligitur Melchiſedechus, cuius nec memoratur proſapia. Et ipſi Romani quondam ab aratro ad faſces, a faſcibus ad laureatos vomeres, felicioribus illis ſæculis, conuertebantur. Nouit Deus ab æternitate hominis ingenium, vtquè veſanam illius infringeret arrogantiam, voluit ſuammet in homine formato ex luto ſculpere imaginem.

Exod. 4. *Zach. 13.* *Geneſ. 41.* *1. Reg. 9.* *2 Reg. 4.* *Hebr. 7.*

At ſi quid proſapiæ debemus, ſi quid gloriæ in

Poſteros Parentum clarior ſanguis effundit; non enim, vt vulgò fertur, Parens pauidi cerui Leo magnanimus, nec albiſſimi cycni nigerrimus coruus, non imbelles columbæ progenitæ à fortibus aquilis, non ab efferis tigribus agni mitiſſimi; fortes naſcuntur à fortibus, eſt in iuuencis, eſt in equis patria virtus. Detur ergo mihi hæc venia Bernardi texturo vitam, in hoc operis veſtibulo Ptolemęorum iuxta, & Oliuetani Ordinis primordia auguſtiora pandere, quandoquidem ſacræ hiſtoriæ, & generis, & natalium Sanctorum meminerunt, etſi proſapiæ ſplendorem glorioſè Dei famuli contempſerint, cōtempſit quoq; noſter Bernardus, qui ortus amplitudinem virtutibus effecit clariorem.

Nobiles ſæpè ex Nobilibus.

E regio Ptolemæorum ſtipite, ex ijs nempè Regibus, qui poſt Alexandrum Macedonem gloria belli, paciſquè florētes, Aegypti, Africæ, & penè totius Arabiæ ſceptro fuere potiti, genitos Ptolemæos Senenſes, ex quibus editus Bernardus, & hiſtorica fides, & vetuſta monimenta, & celebris fama ipſa vulgauit. Quod hic altiùs, vt omnimoda notitia habeatur, non pigeat exponere.

Ptolemæi Senēſes ex Regibus Aegypti

Benauertius in dialogo ad nuperos Oliuetanos.

Fuit gregario cuidam Alexandri Regis Macedonis militi, Lago nomine, filius, Ptolemæus dictus. Hic ſuprà ſuetum bellorum, & equeſtris diſciplinæ decus in expeditionibus pluribus expertiſſimus, militari gloria præcellens, extitit Alexandro carisſimus. Sed ſupremū diem expleturus in ipſo ætatis flore Alexander, Alexāder, qui Perſa-

Ptolemæorū origo.

Diod. lib.17. & 18.
Ioſeph.lib.12 antiquit.

rum Monarchiam ad Græcos tranſtulerat, vix ea ſex annos fruitus, Alexander ille, quem immortalem, Iouiſquè filium dictitauerat hominum aſſentatio, Alexander magnus, cui paruus Mundus, hic mox anguſta concludendus vrnula, Imperium tot ſudoribus partum breui hora diſtribuit, Regnorumquè hæredes, non ſanguine ſibi quòquomodo coniunctos, ſed eos prudenter inſtituit, quos minimè ab eius virtute degeneres, ſed ijſdem Regnis dignos agnouerat. Sapiens optio: Regnum bello partum bellicæ dat virtuti, quia tamen Lagi filium Ptolemæum longè præclariſsimum fuerat expertus, totquè bellorum, quæ ipſe pertulerat, totquè victoriarum, quibus ipſe potitus ſocium habuerat fidiſſima virtute præſtantem, eidem Aegypti, Syriæ, & magnæ partis Arabiæ ampliſſima Regna legauit. Ab hoc Ptolemæo primo (qui effudit Demetrium, & annos regnauit quadragenos) ceteri Aegypti Reges, Ptolemæorum nomine, profluxere, ſuccedūtquè hæreditario iure, cohærentiquè ſerie in Regnum Ptolemæus Philadelphus, Euergetes, Philopater, Epiphanes, Euergetes ſecūdus. Phiſcon, Alexander, Phiſcon ſecundus, Dionyſius, & Cleopatra. Dominantur patrio iure in Aegypto poſt defectionem Macedonici regni, annos nonagenos ducentenos, Ptolemæi Reges; ab Orbe condito tribus millibus ſexcētis ſexaginta tribus, ad annum vſquè ter milleſimum noncenteſimum quinquageſimum tertium, ſub auſpicatiſſimum Seruatoris Chriſti diem natalem. Deficit in Cleo-

Bellar. Card. in cronol.

patra, quæ viginti duos annos ſedit in regio trho no, Sceptrũ. Nec niſi in femina vitijs obruta deſinere poterat corona, quã virilis, bellicus labor pepere rat. Ruit ſub illa Regnũ ſitum in Africa, quod ab Oriente mari rubro, ab Occaſu Paleſtina, à Meridie Aethiopia; à Septentrione Aegyptio cingitur pelago, Regnum vetuſtiſſimum, dictum terræ Parens, venuſtiſſimum, cuius Cæli ſerenitas nullis, vel quatitur procellis, vel obfuſcatur nubeculis, Paradiſi imago. Regnum vberrimum portentoſæ feracitatis; fecundatur enim quotannis alto affluentis Nili, poſt æſtiuale Solſtitium, gurgite. Regnum Orbis emporium, promptuarium. Regnum omnium ampliſſimum viginti millia vrbium occludens, verè diceres Orbem in Regno. Regnum ob omnigenas, quibus effloreſcebat ſcientias, Mineruæ regia. It in Cleopatra peſſum. Hæc illa Cleopatra Ptolemæa Regina vitijs ſcatens plurimis, perditæ libidinis portẽtum, temerarij conſilij monſtrum. Cleopatra hæc illa eſt terrarum Orbi vniuerſo infauſtum ſidus, Marci Antonij vſa eſt impudicis ardoribus pro flamma, qua Regna perderentur in cineres. Pellexit obſcena femina ad ſui amorem Antonium, ardebat petulca pro libidinis pretio Romanum Imperium. Excitantur horrida bella, rutilant minabũda Orientis hinc indè arma Occidẽtis, paratur nauale bellum, ſuperbit triremium, nauiumquè comitata acie, ambitioſa Cleopatra, confertur pugna, qua Orbis ſumma diſceptabatur; ſed dubio adhuc vtrinquè Marte, pluma mobilior femina canit

Cleopatra nouiſsima ex Ptolemæis Aegypti, Regina.

Aegypti deſcriptio.

De actiaca pugna Plut.

rece-

receptui, funduntur vento ſuperba carbaſa, dãtur vndæ ſpumanti agiles remi, aufugit Regina fœda fuga; fugientẽ barbarã regia ira, obſceno ſimul, & amore fremens ſequitur Italus Princeps. Quid interim horriſonos inter fluctus, ſpumãti pelago, luctantibus ventis, triumphãte Auguſto, tu Antoni paras? Quis iuſſerat inſtabili fidere pectori? Quid expectas vltrices manus? Cadis, qui terras terrueras omnes; & nulla parili crudelitate obtrũcãdus eras, niſi propria, qui in Patriam, Ciues, & sãctas leges ſurrexeras armatus. Necat Regina viua Imperium, moritur fugiens captiuitatem, mordet cor impium pharius aſpis, gaudetquè proprio veneno eſcam nanciſci parem, quæquè Africam in extremas vocarat ruinas, par erat Africo vltore mori. Triumphat Auguſtus. Principes Ptolemæi ſanguinis regij miſerum in modum eijciuntur, exturbantur, relictoquè patrio regno, exteras petiere ſedes, contenderuntquè primò in Germanicas oras, indè vir quidã nomine Baleſtriccus, ex genere Ptolemæo maturauit in Italiam, Senã tenuit, domiciliũ ſtatuit, vbi, & opibus, & honoribus auctus plurimis, iecit Ptolemæorum propagini fundamenta, ſedente Gregorio II. Põtifice Maximo; in Italia regnante Luitprandro, imperante Leone Iſaurico, anno partus Virginei ſeptincẽteſimo quindecimo. Sextæ noncentos circa annos vitam Ptolemęi peragunt nobiliſſimã, clariſſimis, & in ſago, & in toga ſemper ſtipati heroibus, atq; heroinis pudiciſſimis, & celebratis. Nõ opum fulcimenta, vt vndiquè tanta familia foret cõſpicua,

Ptolemæi eiecti ab Aegypto

Baleſtriccus Ptolemæus.

defue-

deſuere; ſacra ſacella, templa decora, opulenta Xenodochia ſunt pia Ptolemæorum inſignia; elatæ turres, magnificæ ædes, ampliſſima tecta, & penè tentoria, regiæ magnificētiæ veſtigia, intus, & extra Senēſiū antiquiſſima mœnia à Ptolemæis erecta, ac de ipſorum nomine ad hæc vſquè tempora nuncupata, auguſtiſſima ſunt eiuſdem familiæ monimenta. Sed nec paſſa eſt nobiliſſima propago terræ finibus coerceri, *B*aptiſtæ, Bonauenturæ, Chriſtopheri, Recuperi, Matthæi, & Neræ, omnes beati, ex ſtipite Ptolemæo, fuere aſtra fulgida Ordinis Diui Dominici. Notisſimi etiam ſont Gerardi, Bartholomæi, Tobiæ, Seraphicæ familiæ Diui Franciſci conſpicua ſidera. Celeberrimus inſuper alter Bartholomæus beatus Ordinis Diui Auguſtini, ſic duæ ſorores ſub Catherinæ Senenſis diſciplina eruditæ ad integritatem. Ex ijs Ptolemæis ortus Minus Ptolemæus Eques auratus, nuptus Fuluiæ ex nobiliſſima Tancredorum familia, habuitquè filium Bernardum Olivetani Ordinis primum, & Anteſignanum.

Ptolemæorū præclara monimenta.

Texuit beatorū ex Ptolemæi ortorū hiſtoriā Gregor. Lombardellus Senenſis Ordinis Prędicatorū, & S. Offici Quiſitor in ditione Senēſi.

Bernardus ex Mino Ptolomæo.

Ptolemæorum inſignia triplici Luna in Orbe cæruleo condecorantur, tranſuerſo repagulo inter binas ſupernas Lunas, & vnam, quæ infra. Extitit Luna vetuſtæ Aegypti ſtemma, & ſignum nobilitatis penès priſcos Romanos; in calceis enim argenteæ lunulæ, non ſecus, ac aurei anuli digitis inſerti, nobilitatis fuit argumentum.

Ptolemæorū ſtemma.

Bernardi Ptolemai mira conceptio, feſti-uiſſimus natalis dies.

CAPVT III.

INhiabant ardentiſſimè, multis poſt annis in coniugio exactis, virilem prolem Minus, & Fuluia; adibant pro eadem benignitatis omnis authorem Deum, & Deiparam, qua cũcta nobis è Cęlo profluunt munera, clementiſſimam prece plurima,& inexpleta; ſimiliquè voce pium,& feruens Numen nuncupant: REX ſimul,& Pater, qui alto Cælo regnas, & penitas terrarum abyſſos, cordiumquè arcana rimaris; tu, qui iuſtus fulmina,& pius effundis munera, exſuſpiratum diutisſimè dato, precamur, filium Hunc tu Mater,& Virgo ſanctisſima, ſi orantibus impetres, ex nunc tuo filio ſpondeas. Vterquè Parens à primis annis Deo iurant deuouendum, vt diuino Numini, Deiparę Matri benè viuus viuat. Annue clementisſima Virgo, quod enim confidimus, te volente, reportabimus. Non pro beneficio pollicentur votiuas ſe ſuſpenſuros tabellas, nõ erecturos ſacella, vel poſituros aras, ſed ipſum à teneris vnguiculis conſecraturos, quem dediſſent, filium. Eiuſmodi emiſſo voto, Deus, qui ſe precibus vinci ſinit, & ipſas arentes, nè dicam ardentes, ſilices vberrimis fecundat aquis, voti compotes reddit genitores. Ecce iam fœtum Fuluia gerit ſinu, faciliquè itidem ſub Auroram ſemiſopitam eam Deus ſua-

Vtriuſquè parentis pro ſuſcipienda ſobole votum.

Fuluia fœtũ gerit poſt votum.

ui tra-

ui trahit imagine,& ſolatur. Videbatur enim ſibi ipſa Fuluia puerpera, enixaquè poſtmodùm Cycnum inſueto plumeſcentem candore, cumquè inter vlnas, & ſuauiores ſuos illum foueret amplexus, eiquè è ſuo vbere lac ſugenti blandiretur, cernit, vix lacte ſucto, auem illam de ſuis vlnis ſubſiiientem, alis auolantem, exultantem pennis, datoquè cantu, per aera ferri, conſcendere inſuper virentem oleam, atquè ex hac vellicare roſtro ramulum, eodemquè geſtire, candidis deniq; circumuolitantium cycnulorum ſtipatam turmis, vētos velociſſimo alarum verbere perbellè findere, nubes altiſſimas tranare; peroſam hæc infera, ſublimia petere, inferriquè tandem ſe cælo vnà cum illo niueo volucrum agmine, ſtupentibus interea mortalibus, inclytum illum volatum ſuſpicientibus, adorantibus. Candida profectò propago cernitur naſcitura, vel potius candida via, per quam ad cæleſtes orbes datur aſcenſus. *Eius ſomniū*

Excuſſo ſomno, in ſe collecta Fuluia, quid læti experitur in corde, quid in mente tranquilli, quæ per ſomnium viderat ſæpè admirabunda rimatur; & anceps, quò ſomnium tenderet, Mino viro tandem enarrat. Non ſemper ſomnia noſtras mentes eludunt, etſi vt plurimùm inania, fallacia ſint; rerum nempè inuicem occurſantium phantaſmata, eorūquè ſimulacra fugacia, quibus præpedimur, vel vigiles diſtinemur; iniecta interdum à Deo, qui arbitratu ſuo noſtris phantaſmatis vtitur, futurorum certa ſunt præſagia. Sol, Luna, & ſtellæ vndecim, quæ ſibi per ſomnium cernere viſus eſt *Somnia iniecta à Deo vera portendunt.*

pudiciſſimus Ioſeph, regiam Iuueni præmonſtrauere maieſtatem,atq; inuidos in Fratres imperiũ. Sic Pharaonis Pincernæ, atquè Piſtoris ſõnia diuinitùs interpretatus eſt ipſe Iacobi filius. Quid de ſeptem ſpicis,& bobus, quæ per ſomnium ipſe Pharao vidit,& eorum præſagium idẽ Vates aperuit? Quid de ſimulacro Nabucco oſtenſo,in quo Daniel fugacia Regna Chaldęo Regi prædixit;&, vt noſtratia non prætereamus, Sãctiſſimi Patriarchæ Dominici Genitrici viſus eſt ſomnianti canis ex eius vtero egreſſus facẽ ore geſtans,quod ſcilicet tanti viri ſoboles inclyta foret in exteros latratura ſemper,Orbemq;totum amoris diuini flãmis accenſura,& præclariſſimarum virtutũ radios, atquè ſplendores terræ, cęloq;allatura.Quis ergo in eo cycno,quẽ religioſa Fuluia ſomniat,non videat nitidiſſimos Bernardi noſtri mores, mentis, veſtiumq;cãdorẽ,quas ipſa Deipara ſuis manibus induit? Quis in eo è maternis vlnis volatu non vltrò intelligat,audiatq;vale illum dixiſſe ſæculo,& huius ſe abdicaſſe fœdis ſordibus,& inſanis illecebris? Quis in illo oleæ ramulo,quẽ ore præfert,nõ excogitet Oliuetanã familiã, cuius teſſera Mõtes hinc indè Oliuiferi purpureæ ſubiecti Cruci? Quis demũ ex altiſſimo illo ſublimiũ geminarum alarũ conatu,& ex cœtu cycnorũ cõuolitãtiũ,Bernardi noſtri in cælis cõuerſationẽ, Deoquè fixũ animũ, & futuros filios Parentem ſecuturos,Regniq;cæleſtis potituros,Numinis largitate,non augurabitur? O felix ſomnium in placido ſomnulo!

Fuluiæ ſomnij interpretatio.

Expletis igitur nouenis menſibus, enixa eſt

Ful-

Fuluia infantulũ,anno à contrito Serpẽte,milleno ducenteno ſecundo, & ſeptuageſimo, Sexto idus Maij. Sedebat ea tempeſtate Gregorius X. Pontifex Maximus. Occidentis Imperium Rodulphus, Orientis Michael Paleologus moderabantur. Sæculo quidem Italiæ vniuerſæ funeſtiſſimo; Clemens enim huius nominis V. ad Pontificium euectus culmen ab Vrbe in Galliam Petri ſedẽ aſportauerat, quæ inibi penè annos ſeptuaginta fuit. Profanari per Italicas oras interim ſacra, Sacerdotes, & monaſtica clauſtra pietatẽ priſtinam miſerrimè exuerẽ: ſeueriorem diſciplinã languere; laicos viros, ferarum more, impudicitiam, & crudelitatem omnem affectare. His tantis calamitatibus, datus Bernardus noſter ad ſubſidium, qui Eremum adit ſub annum milleſimum trecenteſimũ tertiumdecimum, & Oliuetanam familiam inſtituit ab eius conuerſatione anno ſexto, nempè milleſimo trecenteſimo decimo nono. Longè errant, qui ſecùs aſſerunt. Illa luctuoſiſſima Eccleſię tempora deplorabat Pelagius Aluarus Ordinis Minimorum Sancti Franciſci, Epiſcopus Siluenſis, libello edito de planctu Eccleſiæ. Viuebat Pelagius oculatus teſtis circà eadem prorſus tẽpora, cum Oliuetanus Ordo inſtitueretur. Multa tunc Oliuetanis ſacra clauſtra à Summis Pontificibus, vt diplomatibus conſtat, ſeueriori diſciplinæ reſtituenda, à qua deflexerant, conferuntur. Nemo ad lacrymas, nemo ad ſqualorẽ deſcribendũ idoneus, quibus rigabatur, quo obſitus Italiæ vultus ob Sanctiſſimi Paſtoris abſentiã. Ardebat

Naſcitur Bernardus ſæculo Eccleſiæ funeſtiſſimo.

Pelagius Aluarus de planctu Eccleſiæ.

Catharina Senenſis in Gallia pro Florentinis, & de reſtituenda Apoſtolica Sede Romæ agit cum Summo Pontifice.

præ ceteris feruentiſſimo diuini amoris incendio Catharina Senenſis,tantaq;diuina excitata zelotypia erat, vt ipſa, omni humano deſtituta ſubſidio,ſolis virtutis,& religionis ſtimulis ſoçijs Pontificē Summū adiuerit. Conatur ſeraphica femina Florentinos Eccleſiaſticis fulminatos cenſuris Primo, & Pio Sacerdoti humillimè ſubijcere, vt in priſtinam Dei,Eccleſiæquè gratiam reuocarētur.Multa Amazon glorioſa tētauit,perfecit multa,ſcripto,voce, prece, tandemquè de reditu exſuſpirata refert vota; reducitq; ſedem ad Vrbem Gregorius XI.omnium mortalium plauſu, & lætitia.NEC fas erat alibi,quàm in Vrbe principe ſedem Principis Apoſtolorum conſiſtere.

Periclitanti Eccleſiæ præſto eſt Deus.

Extitit mira ſemper præpotētis Dei erga ſponſam Eccleſiam cura, & ſolicitudo; Baſilij ordo in Oriente occaſum habet: ſurgit vel in ipſo Occidente Diuus Benedictus, illuſtriſſimæ monaſticæ familiæ Sanctiſſimus Parens.Penè lapſus inſtabat Eccleſiæ,cùm Diui Dominici ſapientia, & humeris Franciſci fultam vidit in ſomnis Innocentius Pontifex. Cæco è barathro ſurgit furens,& fremēs Hydra illa Lernæa,Luterus, datur è cælo Diuus Ignatius Loiola electiſſimæ militiæ Dux ſanctus,& ſapiens.Parili ſorte eximiū languet decus illud Carmeli; Ecce Tereſia floridiori virtutum Vere Carmelum ipſum expingit.Datur ſuo tēpore Caietanus, vt noua progenies antiquiſsimam Eccleſiæ regulam,ipſamquè redoleat Apoſtolici Senatus formam,& moderamen.

D. Benedictus. D. Dominicus. D. Frāciſcus. D. Ignatius Loiola. D. Tereſia. B. Caietanus

Numen ergo prouidens lacrymoſa illa ætate,

noſtrum

noſtrum donat Bernardum monaſticam leuatu-rum diſciplinam,nouæ ſobolis parentem, vt Ere-mo,clauſtriſquè ſacris ſubſidium,& ſuppetias mi-niſtret, quo titulo multis pontificijs oraculis Oli-uetanus noſter ordo condecoratur.

B. Bernardus reparator inſtituti monaſtici.

Ortus infantulus verè filius orationis, & voti, ſacra Baptiſmatis vnda perluitur, abluitur, ſancti Spiritus ſalubri flante aura, ex originaria labe; di-citurquè primò Ioannes; hoc enim nomen pro nato orat,& exorat Fuluia mater ex ſui Genitoris fato iam functi memoria. A nobis verò ſēper Ber nardus appellatus,quod nomē Deo votus ipſe vl-trò cum veſte monaſtica induerat, vt tali nomine inſignitus futurum ſe Diui Bernardi Claræuallis Abbatis,doctrina,& ſanctitate admirandi, fatere-tur imitatorem. Gratulata Mino, Fuluiæquè Reſ-publica omnis Senēſis prolem diù exſuſpiratam; celebratus eſt natalis dies ingenti nobilium pom pa, procerum corona clariſſima, populari iubilo per Vrbem ad Ptolemæorum gloriam ſempiter-nam; nitidiſſimus præ omnibus emicuit Lucifer, plurimæ canētium exauditæ voces. Mos quidem à Barbaris, Medis nempè, Perſiſquè ad nos dila-pſus; eundem enim diem, quem vix natus infans ſalutat lacrymis, vagituquè funeſtat,riſu, cantuq; proſequimur. Melius fortè Thraces miſeriarum huius incolatus memores, conſociatis parentum, affinium, amicorum lacrymis natalia deplorabāt. Miſeri enim Mundo naſcimur certaturi à die or-tus,vſquè ad obitum, ad lutea caſtra hæc deſcen-dimus, in quibus anceps victoria, æternæ mortis

Natalis dies Bernardi feſtiuiſsimè celebratur.

Feſta in Natalibus mos apud Barbaros.

Thraces natalia deplorabant.

diſcrimina. Sanctiſſimus Iob peccati, in quo conceptus, datuſquè ab vtero matris in has, malim dicere tenebras, quàm lucem, recordatus, infauſtam horam, in qua conceptus, in qua ortus, execrabatur. Quare nec cuiuſquam natalis dies feſtiuè meminit Eccleſia Sancto Spiritu edocta, niſi ſponſi ſui Chriſti peccati immunis, quem concelebrauere Angelorum in cælis exercitus polliciti terræ pacem; Deiparæ Virginis omnis labeculæ expertis, cuius natiuitas Orbi vniuerſo contulit gaudium; atquè tandem Ioannis Baptiſtæ, quem ex vtero ſanctum ſcimus, multoſquè in eius natali luce gauiſos. Ceterùm vbi reatus, ibi mœror, vbi peccati fomes, ibi militaria caſtra, dura militia.

Quorum natalium meminerit feſtiuè Eccleſia.

Ab vtero Matris egreſſus Bernardulus in illo exorienti ætatulæ exordio, in quo digatur rationis vſus, viſus omnibus nimia præditus elegantia, & neſcio quid in illa infantiæ Aurora, vitæ nunquam occaſuræ deprehendebatur. Sic in Moyſe vix in lucem dato, ad amnis crepidinem expoſito ad interitum in ſcyrpea adhuc vagienti fiſcellula, quid regium Imperio dignum Pharaonis filiæ objiciebatur.

Vagientis Bernaduli pulchritudo inaex futuræ gloriæ.

Ber-

Bernardi Pueruli in æde ſacra educatio, eius progreſſus in ſpiritus pietate, & ſtudijs litterarum.

CAPVT IV.

SVxit adhuc è cunis in patria domo Bernardus vnà cum lacte piæ deuotionis ſenſum vberrimum, & antè peractam penè infantiam, voluit Minus filium ad aram Deo ſiſtere, & inter ſacra Regularium virorũ clauſtra, in quibus diuini cultus, & virtutum efflorefcerent ſtudia, contineri, vt in illa molliori, & meliori ætate ſancti diuini amoris, & timoris, & litterarum tyrocinium addiſceret. Moris tunc erat nobilium filios penè à maternis auulſos vlnis, inter ſacra loca educandos tradere, & virili pietate ad ſeuerioris diſciplinæ clauſtra proijcere, nè in ſæculo crepundijs, blanditijs, mollibuſquè voluptatibus perfuſi, effeminarētur. Sic magnus ille Thomas Aquinas vix ablactatus, nè quid ſordis è nimia ſæculi licentia traheret, neuè eius puritas taminaretur, Caſſinenſibus Monachis Ordinis Sanctiſſimi Patriarchæ Benedicti, pietate, moribus, litteriſq; imbuendus à Genitoribus datur. Facilis ætas ea puerilis, & licet viã ad vtramq; flexibilis, pronior tamen ex violata in primo Parente natura in id, quod deterius; incipit enim tunc mali Dæmonis tentationibus quati, & niſi puerilis puritas Dei timore valletur,

Pene antiquos nobiles filiorum educatio in ſacris clauſtris

& ar-

& arceatur ab ipſis ioculis, ſenſim aura maligna inficitur, & non ſecus, ac molles roſæ, quæ ſunt agrorum riſus, ſpinarum ſepimento deſtitutæ, lugent, langueſcunt. Datur itaquè Bernardus Chriſtophoro Ptolemæo conſanguineo Ordinis Diui Dominici, viro ſcientia, & probitate inter ceteros Prædicatorum familiæ adeò eminenti, vt dignus extiterit, qui ad Epiſcopale Souanæ Eccleſię munus eueheretur. Huic traditur filius vnicus Bernardus à parentibus, vt ſub tanti viri ſolerti pedagogia non modo à prauis amoribus auerteretur, ſed optimis quibuſquè imbueretur. Sollicitus ergo Chriſtophorus de infantuli ſalute illi indefeſsè erudiendo excubabat; quotidiè puer roborabatur in omnium virtutum ſudore, & ſæculi neſcius angelicam vitam degere, carnis mollitudine obſitus, ab ijs, quæ carnis erant, longiſſimè verſari, Dei timorem haurire, ipſum Creatorem ardentibus ſuſpirijs ardere, quærere, exſuſpirare ſemper. Et didicit ingenioſus puer, quàm amara, quàm ludicra, quàm caſibus diuerſis obnoxia, quàm deniquè contemnenda, præter Deum, hæc omnia. Exardeſcebat illa ſuarum carnium lilia cooperire, lacerare flagris, vigilijs, inedia torquere, & ſexcentis eiuſmodi lanienis edomare, quamuis nullæ ipſas titillauere voluptatulæ, tortor erat, & vindex carnis, eò quòd tãtùm audierat inſenſam illam eſſe ſpiritui ad ſimilitudinẽ Dei efformato. Sacras imagines ardore inexpleto amabat, attrectabat, deoſculabatur; Oculi.n. illi caſtiſſimi diuinis picturis capiebantur, ſæpè blandas manulas

Educatur Bernardus in clauſtris D. Dominici.

Operibus pietatis ſtudet adhuc puerulus.

oculis

oculis cælo defixis, diuina contēplaturus ad aſtra efferebat, dixiſſes expanſis illis, ardenti prece, ſuſpirijs, iras flectentem Numinis, victoriam reportantem. In virtutes omnes giganteo gradu tendebat, nec ſui adhuc benè conſcius Deo, & cælo viuebat, ſuperis delicijs affluentiſſimus. Quæ mente piè recolēda propoſuerat Chriſtophorus, terræ hærentibus genibus, meditabatur. Sæpenumero tanquam peccator maximus obtundebat pectus; frequens nocturnis, diurniſquè vigilijs, tenera illius lingua pſalmorum, & canticorum dulcedine imbuta, in odæo ſacro canebat, ſilentij itidem, ſtatutis horis, cultor fuit eximius. Si veſtem à Bernardulo detraxiſſes, in qua vna vnus è ſæculo dignoſcebatur, pœnitentem Cœnobitam crediddiſſes. Idem, quaſi Sacramēto adſtrictus, Rectoris, ac Doctoris nutui obſequentiſſimus; ſub tanto magiſtro, paſcebatur lacte, & Paradiſi nectare in oratione, atquè ita in omni virtutum genere profecit puer, vt illius exemplo inſtruerentur ſenes, ad eaſdemq; virtutes erudirētur. Sed nec deſijt prudentiſſimus Chriſtophorus vnà cum ijs, quæ ad Dei cultum pertinent, humanioribus litteris, quibus magis ipſa Dei à nobis maieſtas dignoſcitur, informare puerum, qui præcociſſimi ingenij, breui temporis curriculo, prima elementa, & erudimenta litterarum didicit, Italum ſermonem in Latinū vertere, & hunc, in illo ętatis floſculo, maturè callere; eademq; ingenij feracitate, grandior factus, Rethoricæ artis præcepta hauſit ità egregiè, vt è roſtris omnium encomijs, & plauſibus audiretur.

Litterarum ſtudijs dat operam in ſacris ſeptis Bernardus.

Quandoquè per florida Muſarum prata,ſed ſacra, ſpatiabatur, reficiebatur poeticis lenocinijs. Iaciuntur prætereà, eodem Duce, ac Magiſtro, in puerum Platonicæ, & Peripateticæ diſciplinę doctiſſima fundamina. Mira Bernardus noſter, inter eiuſdem ſapientiæ candidatos, demiſſione verſabatur, & in ipſis ſcientiarum diſceptationibus, maieſtate quadam ſenili, oculis, totoquè corporis habitu in ſeipſum collectus, ſuam aperiebat, abſq; garrulitate ſententiam; etſi ceteris intellectus ſublimitate, doctrinaquè præſtabat, nunquam tamen ſcientijs tumuit; ſic ad omnium virtutum brauium, curſu quaſi Atlantico, feſtinabat. Enim verò cùm admiranda eius ſanctitas eſſet futura, altiſſimum iaci debebat in eo humilitatis fundamentum. Delectabatur mirum in modum Bernardus humili illo religionis iugo, quod ab infantia pijs in clauſtris portauerat, decretumq; ſibi erat è ſacris illis ſeptis nunquam diſcedere, ſed inſtituto Diui Dominici inhærere, interq; illius cooptari alumnos, ardeſcebat, quod haud dubio eueniſſet, ni certior factus Minus ad paternos lares reuocandum curauiſſet. Nolebat ſui immemor ille vnicum, quem genuerat filium, ſpem poſteritatis, flore ſui virginei lilij, ſobole, cui inhiabat, fruſtrari. Torſit ad Genitoris, in ipſo amore crudelis, imperium Bernardus, fuſiſquè lacrymis, relicta ſacra æde, & ſocijs, mœſtiſſimus Patri morem gerens, ad ſæculum, ſæculum vitabundus reuertitur, neſcius ipſe tunc auguſtioris, & vberioris ſe prolis Patrem futurum. Prolem neſcierat,

Magna Bernardi humilitas in ſcientijs.

Mini iuſſu ſacra Clauſtra deſerit Bernardus.

lon-

lõgo temporis ſpatio, Minus dat aſſiduas preces, geminat lacrymas, nouat ſuſpiria, fert votũ Deo filium conſecrandi, parit Fuluia, filius exſuſpiratus tenetur, inter ſacra loca educatur, religioſiſſimam traducit vitã; & genitor voti immemor, ſumma pueri fortè pernicie, è clauſtris illum reuocat, tragicos quidem peperiſſet euentus, ni amantiſſimum Numen ſuo æterno decreto parentis Mini fragilia eluſiſſet conſilia.

Bernardus in patrijs laribus pubeſcens omnigenis ſtudijs impenſiùs operam nauat, mirè proficit, quæ diſcit vniuerſa ad Dei gloriam religioſè refundit.

CAPVT V.

Litterarum ſtudijs innutritus Bernanrdus ab ipſis teneris vnguiculis in domo Domini, nec potuit, nec voluit extrà ſacra Dei viridaria poſitus, ad eadẽ ſtudia non incumbere, imò auidiori cura ea proſequutus; aſſiduæ eius exercitationes erant, Philoſophorum placita euoluere, rationis lance omnia penſitare, nulli prorſus, niſi veritati, quam aſſequi conabatur, addictus. Præter Peripateticam, quam primò didicerat, diſcipli nam, Platonicę mentem appulit, & ad alias capeſſendas ſcientias progreſſus, ius Pontificium, & Cæſareum, quibus populi reguntur, mira erudi-

Quandoquè per florida Muſarum prata,ſed ſacra, ſpatiabatur, reficiebatur poeticis lenocinijs. Iaciuntur prætereà, eodem Duce, ac Magiſtro,in puerum Platonicæ,& Peripateticæ diſciplinę doctiſſima fundamina. Mira Bernardus noſter, inter eiuſdem ſapientiæ candidatos,demiſſione verſabatur, & in ipſis ſcientiarum diſceptationibus, maieſtate quadam ſenili,oculis,totoquè corporis habitu in ſeipſum collectus,ſuam aperiebat,abſq; garrulitate ſententiam; etſi ceteris intellectus ſublimitate, doctrinaquè præſtabat, nunquam tamen ſcientijs tumuit; ſic ad omnium virtutum brauium, curſu quaſi Atlantico,feſtinabat. Enim verò cùm admiranda eius ſanctitas eſſet futura, altiſſimum iaci debebat in eo humilitatis fundamentum.Delectabatur mirum in modum Bernardus humili illo religionis iugo, quod ab infantia pijs in clauſtris portauerat, decretumq; ſibi erat è ſacris illis ſeptis nunquam diſcedere, ſed inſtituto Diui Dominici inhærere, interq;illius cooptari alumnos, ardeſcebat, quod haud dubio eueniſſet, ni certior factus Minus ad paternos lares reuocandum curauiſſet. Nolebat ſui immemor ille vnicum, quem genuerat filium, ſpem poſteritatis, flore ſui virginei lilij, ſobole, cui inhiabat,fruſtrari.Torſit ad Genitoris, in ipſo amore crudelis, imperium Bernardus, fuſiſquè lacrymis, relicta ſacra æde, & ſocijs, mœſtiſſimus Patri morem gerens,ad ſæculum, ſæculum vitabundus reuertitur, neſcius ipſe tunc auguſtioris, & vberioris ſe prolis Patrem futurum. Prolem neſcierat,

Magna Bernardi humilitas in ſcientijs.

Mini iuſſu ſacra Clauſtra deſerit Bernardus.

lõgo temporis ſpatio, Minus dat aſſiduas preces, geminat lacrymas, nouat ſuſpiria, fert votũ Deo filium conſecrandi, parit Fuluia, filius exſuſpiratus tenetur, inter ſacra loca educatur, religioſiſſimam traducit vitã; & genitor voti immemor, ſumma pueri fortè pernicie, è clauſtris illum reuocat, tragicos quidem peperiſſet euentus, ni amantiſſimum Numen ſuo æterno decreto parentis Mini fragilia eluſiſſet conſilia.

Bernardus in patrijs laribus pubeſcens omnigenis ſtudijs impenſiùs operam nauat, mirè proficit, quæ diſcit vniuerſa ad Dei gloriam religioſè refundit.

CAPVT V.

Litterarum ſtudijs innutritus Bernanrdus ab ipſis teneris vnguiculis in domo Domini, nec potuit, nec voluit extrà ſacra Dei viridaria poſitus, ad eadẽ ſtudia non incumbere, imò auidiori cura ea proſequutus; aſſiduæ eius exercitationes erant, Philoſophorum placita euoluere, rationis lance omnia penſitare, nulli prorſus, niſi veritati, quam aſſequi conabatur, addictus. Præter Peripateticam, quam primò didicerat, diſciplinam, Platonicę mentem appulit, & ad alias capeſſendas ſcientias progreſſus, ius Pontificium, & Cæſareum, quibus populi reguntur, mira erudi-

Ad altiores ſcientias ca- ſſitdas pro- reditur in- culo.

tione aſſecutus eſt. Mathematicis vlterius imbuitur diſciplinis, & cum illo aſtrorum ſcrutatore Claudio Ptolemæo, polos, & altitudines dignoſcit, afflatuſquè ſiderum ex varijs illorum aſpectibus, & irrequietas illorum vertigines attentiſſimè ſcrutabatur; naturales ſcientias moralibus ſubijciebat; morales theologicis, in quibus lætiſſimè, & latiſſimè ſpatiebatur Bernardi ingenium; lætabatur animus, gloriabatur, & maximè triumphabat in impenetrabili illa Omniregentis abyſſo, & gloria; theologica enim arcana ſecretiora totus venerabundus rimabatur à Sacris Doctoribus recluſa, & in illa fulgenti caligine triumphalibus fidei rotis captiuum trahebat intellectum. Non ſeiungebantur in adoleſcentulo theoremata, vel profana, vel ſacra ab humillimo pietatis ſenſu; quidquid ſpeculabatur eius mens, ad mores candidos, ad animi ſalutem, ad Dei præ omnibus tandem gloriam reuocabat. Pietate condiebat, miſcebatquè quod in Ariſtotele ſubtiliſſimum, vel in Platone politicum deprehendiſſet. Miſereſcebat ſæpiùs Stagyritæ, quòd verſatus miſer in tenebris, neceſſitatem operanti Deo impoſuiſſet; atquè interminam eius potentiam ad vnius orbis anguſtos limites, in quibus Alexander lacrymabundus æſtuabat, tanquam in arcto poſitus, coarctaſſet; quaſi verò ſi Deus vellet alios, & quidem vaſtiores, pulchriores, vnico nutu, condere nequeat; deplorabat eundem Orbis æternitatem; Deumquè à prouidentia alienum, aſſerentem. Et quis, aiebat Bernardus, cæleſtes Orbes, rotaſquè

Omnia quæ diſcit ad animi ſalutem, et Dei gloriã reuocat.

Ariſtotelis errata reuoluit eiuſdem miſeretur.

lúcis

lucis indefeſsè verſat, aſtra rotat, elementa moderatur, terras tuetur, pugnantia nectit, viuentia temperat, vaſta coercet ſuis limitibus maria, nè ſuos fines prætereant, niſi ille, cui curuantur, qui portant Orbem, niſi admirabilis ea ſapientia, quæ attingit à fine vſquè ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter? Miſerebatur, quòd Deum primo illi ſtelligero cælo, quaſi argenteis clauis ſuffixiſſet, quòd Intelligentias à corporea mole ſeiunctas, ad cæleſtium Sphærarum numerum, quibus eas conglutinauit, redigiſſet; & tamen, teſte Iob, non eſt numerus militum eius. Deplorabat, quòd hæſitantèr, & obſcuriſſimis captus tenebris, de noſtris animis diſſeruiſſet.

Iob. 38. *Iob. 9.* *Sap. 8.* *Iob. 25.*

Applaudebat poſtmodùm Platoni, quòd naturæ afflatu, cuius author Deus, caducas cæleſtes rotas dixerit, & peritura omnia, niſi Omnipotentis brachio, à quo efformata fuere, fulcirentur. Quòd pro ſuo arbitratu creatorem affirmauerit Deum, animoſquè mortalium hominum fecerit mortis expertes, quòd cæleſtes orbes actos in gyrum feſtiuè faſſus fuerit muſicos edere ſonos, quaſi illorum concentum didiciſſet à Iobo. Quod omnia ſub lunæ concluſa concauo fluctuantia, & indefeſsè viciſsim pugnantia dictitauerit. Cum eodem Philoſopho Idæas, ſed in mente Summi Opificis rerum omnium, collocabat æternas, ad quarum typum, imaginemquè vniuerſa, ſtatutis temporibus, libero eiuſdem decreto, efformarentur. Arridebat Bernardo magis Plato, quã Ariſtoteles vt, & ipſis Sãctis Patribus magis arriſere illius

Platonica placita, vt veritati cõſona arridebant Bernardo.

Iob. 38.

Auguſt. lius dogmata, è quibus, ſi perpauca demantur, (aiebat Auguſtinus) Platonici haberentur ex noſtris. Seligebat ſtudioſus iuuenis ex vtroquè Philoſopho quidquid pietati, quidquid religioni cōſonum, & rerum naturalium ſcalis ad ſupernaturalium faſtigia conſcendebat. Aquilas Chriſtianos Philoſophos appellabat, Noctuas Ethnicos; ſi Ariſtotelicè diſſerebat, Ariſtotelem ſonabat, ſi Platonizabat Platonem crediditſes, ſic argutè, elegantèr, & inoffenſo ſemper pede, per illorum vagabatur doctrinas.

Chriſtiani Philoſophi Aquilis comparantur gẽtiles Noctuis

In iure Pōtificio, & Cæſareo, Dei omnis æquitatis authoris, maieſtatem rimabatur, & quàm arduum eſſet regere homines ijs, qui non quid altius ſuprà humanum captum contenderent, optimè dignoſcebat. Callebat etiam eam, quæ pararetur corona illis, qui vitia pœnis premerent, virtutem eueherent præmijs, Deum imitātibus virtutum remuneratorem copioſiſſimum, culpæ vindicem ſeueriſſimum. Vicem dolebat eorum, qui corporatum Numen non agnouiſſent, & impia carnis lege ducti, in omnia ſeſe ſcelera diuinis affligendi legibus, proruiſſent.

Iure pontificio, & Cæſareo excultus Bernard.

In præcipiti motu cælorū, & ſphærarū influxibus hauriebat diuinę gratię, diuinæq; lucis afflatū, & quomodò, dempta Dei prouidentia, vniuerſa hæc ſterileſcerent, & ad nihilum priſtinum redigerentur. Moralibus diſciplinis ſeipſum moderans ad virtutes omnes aptabatur, eorumquè miſerebat, qui homines cùm eſſent, ferinos mores induerent. Theologiæ, fidei hìc in terris vmbra ſalutari

Aſtronomicis, moralibus, & theologicis diſciplinis ornatus Bern.

contectæ, inhiabat, eamdemquè clariori luce nouiſſimè inter ſuperos exſuſpirabat, vt in Deo, omnium ſcientiarum ſcaturigine, intellectus, ſumma tandèm tranquillitate, & dulcedine conquieſceret.

Ex aliarum verò litterarum elucubrationibus mel cæleſte ſugebat, tanquam ex odoris floſculis apis operoſa. Aſsiduas Deo agebat gratias cum Ethnicorũ perlegeret errores, quòd inſcrutabili æternæ Sapientiæ conſilio, multa eſſent reuelata paruulis fidelibus, & abſcondita ijs, quos ſtultus Mundus ſapiẽtes appellat. Hiſcè meditationibus, ſcientijſquè, ſpiritu auctior, & locupletior reddebatur Bernardus, eratquè virtutis candor ad eamdem virtutem nobile calcar, taliquè pacto adoleſcens ſcientias, breuiſſimo temporis gyro, profundiſsimè comparauit; maiori etenim doctrina erat præditus, quàm ætas pateretur, ſapientia magis è cælo potitus, quàm in terris imbutus. Hinc factum, vt Bernardi nomen percrebeſceret ſemper, illiuſquè rumor complurium diſsitarum gentium peregrinas aures glorioſè occuparit; Nulla ſunt virtuti confinia, gloriæ nulli termini, famæ carcer nullus.

Omnia ad Dei gloriam & animi ſalutem reuocabat.

Nomen Bernardi vndequaquè diffuſum.

Puber

Puber Bernardus in ſodalitio Sancti Anſani Operibus pietatis ſtrenuam dat operam.

CAPVT. VI.

EXtat vſquè modò Senæ Sodalitium antiquiſſimum iuxtà, & pijſsimum D. Anſani, qui, vt diximus, Chriſti reparatoris fidei in ea vrbe, cuius nũc eſt Patronus, prima iecit ſemina, & in eadem etiam martyrij purpuram gloriosè induit. Egreſſus ergò Bernardus è ſacris clauſtris, nè in centenos ſęculi ſcopulos alliſus, lethiferis fluctibus, miſerè obrueretur, voluit inter eos aſciri, qui idem ſodalitium frequentarent; erat enim illud, velut palæſtra virtutum, in qua electior, & magis pia Senenſium adoleſcentulorum nobilitas exercebatur ad ea, quæ Dei erãt, exploſa mundi, in quo omnia miſerrima, conſuetudine. Efflореſcebant ſacro in eo viridario, aura flante Sancti Spiritus, virtutibus primæui illi flores, & lilia, eò gratiora quò puriora. Non poterat Bernardus non eorum hìc meminiſſe, quæ in Dei ſeptis ab ipſa libauerat ætatula; quapropter ſanctis moribus reliquos ſodales lõgiùs pręſtabat. Exercitationes nobiliſſimæ iuuentutis erant in ſchola illa pietatis, ſæpiſsimè, vel leuiſsimas animi labeculas ad Sacerdotis, prouolutis genibus, pedes, pandere; pęnitẽtiæ lauacro ſe abluere, reficere ſe Euchariſtico frumẽto admirabili, intereſſe quotidiè ſacro, eiquè plu-

Exercitationes virtutum in ſodalitio S. Anſani.

ries

ries angelicũ, & amãtiſſimum miniſterium nimia puritate exhibere. Pij libelli quandoquè circumferuntur, ex quibus materies ſacris meditationibus comparatur,& ad rerum diuinarum contemplationem mentes teneræ tollebantur. Pſallunt interdùm alternis chorulis, Beatorum Spirituum in cælis æmulatores. Plurima humilitatis inter eos agnoſcuntur veſtigia: nunc deoſculando, ad Rectoris nutum, parentem tellurem,è qua eruti, & in quam tandem aliquãdò,laborioſi hiſce functi fatis,gradum referemus;nunc etiam ęmulo ardore humi ſtrati optimi triumphatores inuicem pedibus humillimè figunt oſcula; inter eos habitus ille dignior,qui humilior.Non deerant pubeſcentibus ſenſuum caſtigationes;ſub ſerico,molliquè tegumento latitabat villoſum cilicium,quo virginea illa membrula macereſcebant; flagrisq; tundebantur nondum in animam functa tyrannide; eratquè fuſus ſanguis eò glorioſior,quò de nullo hoſte victo fluebat. Pluriès adoleſcentuli illi ieiunijs pallidulі,& liueſcentes;ſi quid maiores profusè illis concedebant, largè pauperibus ipſi erogabant.Ad omnia pietatis munera,& virtutum exercitationes accedebat Bernardus primus,ab iiſdem nouiſſimus receſſurus, eratquè (vt cum D. Bernardo Claræuallis Abbate loquar) ſenili grauitate indutus,& probata quadam continentia pueriles annos regebat, feruoremq; virẽtis corporis cana morũ maturitate decorabat. Non enim tã annis,quàm bonis moribus progrediebatur,ætas puerilis gradus gigãteos habebat.

Bernardus Claræuallis Abbat.

E *Ber-*

Bernardus nondum ephæbus doctoratus laurea honeſtatur, & inter Cæſaris equites aſci. tur. Occupationibus equeſtribus diſtentus pietatis ſenſum inter arma tepeſcentem nouit.

CAPVT VII.

PRima ineunte adoleſcentia ſub annum ſextumdecimum, adeò in omnigenis litterarũ ſtudijs profecerat, & excelluerat Bernardus, vt dignus extiterit, qui virenti doctoratus laurea, ſpectante, & ſtupente tota Senenſium Republica, condecoraretur. Ex vtroquè iure Põtificio nempè, & Cæſareo; ex philoſophia vtraquè Platonica ſcilicet, & Ariſtotelica, exorta, atquè contexta candidato iuueni multiplex corona. Non ſcientia tumet, non ſuperbiam redolet ſapiens, & modeſtiſſimus Bernardus; non quòd vnanimi voce, plauſuquè præ ceteris doctiſſimus acclametur; quòd eius digito aureus, non ad humanæ illecebræ, vel iactantiæ notam, ſed ad ſapientiæ decorem, anulus inſeratur; quòd diſciplinarum, & bonarum artium omnium infulis flauẽtia cingantur tempora; quod Doctorum ei volumina oblata, miro ingenij acumine, euoluat. Non quòd citiſſimos ſapientiæ fructus, vix florifero adoleſcentiæ

Humilitatis cuſtos in ſcientijs B.Bern.

Vere protulerit. Non ſuperbit conuentu illo togatorum,vel ſtupeſcentium,vel conclamantium; geſtiebat potiùs ad hæc feliciſſimus parens,lætabũda adſonat Reſpublica, præclariſſima omnium extitit dies illa Senæ,patuere cunctis opulentæ Mini ædes; odoris ſternuntur floribus,& vernantibus folijs viæ;pendẽt vrbis è muris,mœnibuſq; ſerica barbara, coronæquè, & maiorum antiquæ imagines,eorumq; regia geſta populari acclamatione percenſentur;reboant prædiuites aulæ muſicis, & harmonicis vocibus ; morum tamen face ſplendeſcebat auguſtiùs Bernardi ſapientia,eratquè ipſarum coronarum adoleſcentuli modeſtia, virginali ſuffuſa pudore,corona,& decus.

Atquì Minus haud rem nimiam ducens litterarum fama celeberrimum, togatumq; adoleſcẽtulum vidiſſe filium, eiuſquè celebri laurea redimitam frontem,inhiabat eumdem tum fulgẽtem in armis cõſpicere, caputquè amat criſtata clauſum caſside,laurumquè cauo ære protectam. Inexſaturata ergà vnigenam genitorum vota ſunt. Nõ poterat à veritate abire Veritas ipſa,quæ inter nos viuens homines domeſticos hoſtes homini eſſe teſtata eſt.Adit ergò ſupplicibus codicillis Imperatorem Minus, vt inter Cæſareæ eius Maieſtatis Equites cooptare vellet filium Bernardũ. Imperium tùm regebat Rodulphus inter ceteros auguſtiſſimus,qui & regnauit annos viginti, probataquè iuuenis ex vtroquè genere Ptolemæorum, ac Tancredorum æquè clara nobilitate, ad Cęſarei equitis gradum Bernardum libentiſsimè

Matth. 10.

Bernardus inter Cæſareos milites aſcitur.

euexit. Egit gratias Cæſari Minus, voluitquè feſtiuiſsimè illuceſceret illa dies Senenſibus, inſueta nempè Nobilium pompa, triumphali penè decore, regaliquè paludamento. Ferebatur bellicus apparatus magno equitātium comitatu, & inter populares luſus, Martis ſpectacula horridè videbantur lætiſsima, tubarum clangore, ac tympanorum raucedine; tùm fidium, & citharārum multiſono concentu hilareſcebat Sena. Canunt iuueni viri fortiſsimi, & bellatores, & carminibus triumphalibus, Romanorum more, plaudunt. Gaudet ipſe equitans inter arma effuſa, & confuſas inter armatorum voces, quibus omnes ſupremum militiæ ſceptrum illi ominantur. Signa auris ſparſa fluctuant, ventilquè tument, & Signiferi nouum equitem venerantur. Inter enſes, & haſtarum ſiluas, complacet eſſe, exuiſſe iam prætextam, & induiſſe Bellonæ arma; pendet ab illius latere enſis; tegit, premitquè frontem galea, lorica pectus, fulgido ferro corpus totū, clypeoquè, oſtro, & auro vndiq, ſplendet. Sic ferebat ſeſe media vrbe equitās ſolemni pompa inter equos, & arma, quaſi triumpho potitus nouus bellicoſus heros. En iam lætos inter, martioſq; plauſus Bernardus collacrymandus; terit inter equeſtris turmæ militiam, militumquè ſtudia, præclaros dies iuuenis deuius. Studiū omne, omnis cura, & ſollicitudo eſt in bellatoribus equis non æquà via. Lupato nunc ſpumāte rapidum acriorem frænat ſonipedem, nunc ſanguineis calcaribus ad curſus agitat, impellitquè; nunc contractis, vel molliter

Apparatus bellicus, & feſtiuus pro Bernardo ineunte militiam.

Militaribus ſtudijs diſtinetur Bern.

flexis

flexis habenis,coercet, ſeù mouet ad numeros; nunc in orbem flectit, excuſſa virgula, vel ferulæ ſibilo; nunc tergo percuſſo, ad ſaltus excitat, vel compoſitis greſsibus ire ſuadet. Auet rem edi-ſcere militarē,curſum celerare,in infenſius ruere bellum,in acriorem ſeſe dare conflictum, haſtas vibrare, corripereque, rotare ferrum, ferroquè media inter prælia barbaros hoſtes vlciſci,caſtra ponere,muros conſcendere,obſidere mœnia,expugnare vrbes,ſtrages edere, lanienas agere,neces geminare, militari labore conſueſcere, inter cædes, & cadentium cadauera cruentè commiſceri,inimica effundere Militum agmina,victoriæ voces pæana canentium inter fulgurantium enſium,& vibrantium haſtarum lucos exaudire;excitari tādem Victori ſibi,ſub vmbra ferrei imbris, pompale trophœum. Intumeſcebat de nominis claritate ſuorum,qui belli laurea floruere,de auitis regnis, patrijſquè ſceptris. En (pro humanæ mentis fragilitatem!)En Chriſti bellator pij,impij armiger Martis! En qui Chriſto puber militabat ſagax, nunc improuidus Bellonæ feræ ancillatur! En qui ſolitariam ducturus vitam in ſpelæis abdicatus ab hominum conſortio videbatur,nūc inter vaniſſimos armorum ſtrepitus, militari luxu laſciuiens,vaneſcit! Quis neſciat obtundi animi ſæpiſsimè aures belli fragore? Spirantem cæleſtem auram repellit martius fremitus, & cor pacatum Dei amoris aſſuetum nouiſſe voces, perturbatis ſenſibus,eas præterit, languet ardor bonus,igne furentis Belli. Tepuit ergò Bernardus

Vaneſcit inter arma Bernardi pietas.

inter

Mollibus curis diſtinetur.

inter arma; & virtutes ſenſim incipiebat miſerè exuere. Lauit, obliquat crinem; nutrit, ſtudetquè deſidioſus comæ, pectit, pexamq; ſuffit, dat effuſo capillo, & tortilibus cincinnis pectine, & acicula legem; vnguēto illitus nitet, ſpirantquè militares veſtes ſagum, palliolum arabico odore. En militaria, & ſimul effeminata adoleſcentis, oculis potiùs, quàm armis ferientis, ſtudia! Diſtinetur mulierculæ, intermiſſis Numinis, curis. Obliuiſcitur Sodalitij illius ſacri, pietatis operum, litterarum, ſtudiorum, & ſuipſius immemor, vacuos tranſigit dies, equos inter, arma, barbaricas veſtes oſtro plurimo, auroquè diffulgentes. En quòd hominis cum Deo conſortium, vt leui vel aura turbetur, maculetur! Documētum genitoribus, qui nimio amore, vel potius nimio erga filios ducti odio, ex ſacra, & pia conſuetudine eos auocant, ſibi, illis, familiæ, patriæ detrimenta plurima parituris.

Diuina gratia munitus Bernardus militiam deteſtatur, ſecum ſermones miſcet pios, pietatiſquè operibus iterùm impenſiùs ſtudet.

CAPVT VIII.

PRolapſuro iuueni, & ſcelerum fluctibus obruendo clementiæ manum adhibuit Deus, nè vitijs fractus miſer caderet, collideretur, peri-

ret. Exiguo temporis interuallo,perpaucis nempè menſibus,in ea mollitudine,& vitæ leuitate verſatus eſt Bernardus; iiſdemquè enim armis, quæ inter langueſcebat, voluit Deus, generoſus ſuijpſius triumphator adoleſcens exiſteret, &,vt perſpectis armis Martis memor eſſet Mortis induturus poſtmodùm arma lucis,funeſtis exutus. Quadam enim die laxaturus membra otio, arma belligerum in modum aptarat Hercules noſter imbellis. Suſpenderat muro galeam,ſcutum,enſem,loricam,frameam;cumquè auidiùs ea intueretur, tactus cæleſti manu, contemplabatur ſibi ipſi ſpiritualis arma militiæ,& quaſi abrupto,excuſſoquè lethali ſomno,ſic ſecum locutus.Hæccinè arma, quæ induor? hæc nè in ſacris illis ſeptis, in ſacro meo ſodalitio gerere didici? Promiſi nè luſtralibus Baptiſmatis aquis ablutus,haſtas intorquere,vibrare ferrum,ſcutum rotare? Hæc nè illa militia, cui me adhuc vagiens ſacramento addixi? Militia componitur vita hominis degentis in terris; iam noui, & noui nunc, quod milito ego in hac carne, ſed non his armis,in hoc vallo,in hac arena pugnandum;non his conferēdæ mihi cum hoſtibus manus. Laceſſor ab obſidentibus Dæmone, Mundo, ſenſu, ſed his armis ſegni veterno torpeo, & arma mea in me ſunt. Enſem gero, ſed hoc mihi vulnus infigam acerbius.Ferrum induor ferream ſemper ætatem traducturus? Non ego ad hæc arma vocor,non ad hæc arma mihi tam noxia efformatus, nihil caſti in his caſtris. Silent ſanctæ leges inter horribiles

Ferreis armis ad ſpiritualem militiam reuocatur Bernardus.

Iob 7.

Bellonæ fabuloſi Numinis ſtrepitus inter tympana,& tubas. Diſcedā ergò ab his inglorijs armis; eruntquè illa iterum artes, exercitationeſquè virtutum. Hæc ſunt inſtrumenta,& teſſera chriſtianę militię. Illud eſt nobile bellum, illa glorioſa concertatio, in qua cum voluptate dimicans virtus de ipſa voluptate triumphat. Quæ ſunt iſta militaria inſignia; qui militares hi ornatus, niſi improuidæ vitæ infelicia monimenta? Tueor cauo ære, preſſa coma, caput; non protegar virtutis caſſide animam? Subijciam nè caniciem tandem meam galeæ, vt de terrenis certem; non pugnabo, vt cælum expugnem vſquè ad finem? Induo manus ferro, non induā operibus pietatis? Oſtro, & ære clareſco, nullis virtutibus effulgebo? Deflecto, deflecto his armis à veræ gloriæ curſu, ijſdemquè infelix grauatus ad nigrantia gradum feſtino tartara. O quàm fortiùs virtute, quàm lorica,& tegor,& protegor. Iam in veſtro fulgore, incautæ caliginem mentis meæ optimè intueor. Nouam, nouam moliar militiam, noua arma, arma lucis induar. Vexillum illud ſacroſanctum Erebo reformidatum ſit mihi militare ſignum, ſit mihi labarum glorioſum ſub Chriſto cruento Duce, cui tantùm deinceps ſtrenuè militabo; omnia belliſſima nouero in hoc bello. Erit gladius eiuſdem Ieſu, omni ferro penetrabilius Verbum; aſſumam pro comanti galea ſalutis caſſidē, pro lorica, fidei operimentum; pro ſcuto, æquitatis clypeum; pro ludicris martijs caſtris, libidinibus fœdis,& maculoſis; erunt mihi iterum ſodalitia

litia ſacra, vbi innocentia, vbi nitor. Si pro exangui meæ vitæ Seruatore non dabitur ſanguineas inter machæras animam agere, dabitur ſaltem inter ſanctiſſimas ſuę legis pedicas, dulciter irretitus, iugo ſuo preſſus ſuauiſſimo, viuere, & mori. Natet hæc mollis coma arido in cinere, prematur caro hæc iam loricata, horrẽtibus cilicijs, & dextera hæc deſinat ferro furere, ſed armata flagro aſſueſcat animo reluctans corpus fortiter ſubijcere. Tergat, & curet pœnitẽtiæ plaga animi plagas. Iam obliuioni dico Martis furentis arma. Sic ſecnm arma intuens, obortis lacrymarum fontibus, proloquitur Bernardus cæli miles iterum, Superorum alũnus. Quàm verè antiquus ignis fauillam ſeruare potis! Obliterata itaquè omni ſæculi huius imagine mendaci, abiectis luctuoſis armis, & militari ornatu, quibus quò cultior, eò incultior; quò formoſior, eò deformior anteactos errores detecturus ad Sacerdotis pedes, flexis poplitibus, ſiſtit ſeſe humillimè; lacrymæ penè in riuos profluunt, geminantur ſuſpiria, & certè dolor, fletus, & tormenta ea fuere, quæ amantiſſimũ Chriſti decebant, quæ malè patrarat explicat omnia. Miratur Sacerdos candidum penè animũ tàm fortiter dolentem; inter ſacros, & paternos amplexus illum reuocat, conſilijs monet, ſpe leuat, benignitate linit, plurimoquè pio colloquio ſolatus, ad inceptos olim pietatis curſus hortatur. Ille firmiſſimè omniũ memor, humiliori gratias agit reſponſo; tùm impenſiùs pietatis ſtudia colere, membra edomare, cæleſtemquè ſedem

Deteſtatur militiã Bernardus, & humiliter ſuos confitetur errores.

F glo-

glorioſiores inter heroas exſuſpirare.

Fuerat à teneris annis Bernardus ſanctiſſimæ Virginis apprimè ſtudioſus; erat,extatquè nunc Senæ Sodalitium in Xenodochio vniuerſæ Hetruriæ celeberrimo, quod de Scala appellatur, Matri Deiparæ,(Mariæ noctis vulgò dicũt)ſacrũ; ob reportatam reor de vmbris victoriam, vocant Mariam noctis; ſic Scipio ex Africa victa,dictus Africanus. Deipara eſt ea Mater lucis,quæ Deũ lucem fulgentiſſimum peperit. Mater lucis,quæ terram, quæ cælum complet lumine, quæ in cœcas tenebras errorum,& in caliginoſo ſcelerum pelago fluctuãtibus tota miſericors,& preſtò eſt.

Bernardus in ſodalitio ſanctiſsimæ Mariæ de Scala.

Ex hoc ſodalitio pluſquam ex illo Ilio equo, prodiere viri, verè omni ſanctimonia inſignes, qui nedum Senæ, ſed Orbi toti intulere radios ſanctitatis,qui non Ilium pro Helena infami mœcha,ſed cœca barathra pro animo Chriſti empto cruore, expugnauere. Ex hoc virtutum lycæo, ex hoc ſodalitio,inter ceteros,extitere Bernardinus, Seraphici Franciſci Ordinis inſtaurator, & author fratrum, quos dicunt,lignipedes,Ioannes Columbinus Ieſuatorum inſtitutor; Stephanus Maionius Carthuſianæ auſteritatis ornamẽtum, de quibus nos ſuprà, omnes illius ſacræ paleſtræ alumni. Ad hanc fulgentiſſimam pietatis noctem magis eluceſcit Bernardus, & feliciſſimo omniũ præſagio, libenter inter ſodales aſcitur. In hoc pietatis cœtu confeſſionum lauacro expiantur perſæpè animi, & cæleſti eſca, paſcente Deo homines ſeipſo,reficiuntur.Hic electi Chriſti,Virgi-

Alũni ſodalitij S.Mariæ de Scala.

Piæ exercitationes in ſodalitio S. Mariæ de Scala, vel de nocte.

nilquè

niſquè milites, ardentiſſimo ſtudio, ineffabile Numen colunt, adorāt Matrem puriſſimam, glorioſos Cælites venerantur. Hìc viget ergà proximos pia flamma, ſæculi contemptus, diuinorum præceptorum cuſtodia. Hic flagrorum rigido verbere,& cruento flagello comprimitur caro,& pungenti cilicio ſubijcitur ſpiritui triumphanti. Hic religioſi viri, probatiquè Sacerdotes documenta præbent non maculandæ caſtitatis, tolerantiæ adipiſcendæ, humilitatis amplectendæ, amandæ mendicitatis. Sodalium aſſiduum inſtitutum,& vſus, deuios ſalutarem edocere viam, in carceres coniectos inuiſere, ægrotos ſolari, ijſq; pium omnem famulatum præſtare, omniaquè tādem ea exercere, quæ chriſtiana pietas ſuadet. Bernardus, quibus hic diffulſerit virtutibus, explicatu difficile eſt. Sæpè ad vſquè humiliorum pedum oſcula laxat genua, egenos, & graueolentibus detentos carceribus, fameſcentes inuiſit, adiuuat, paſcit. Non ſordeſcunt loca pijs Bernardi ardoribus, vel tabe horrida, vel horrore inacceſſa. Vulnera adorat, vt ſidera, vtquè lucis oſtia palpat, amplectitur. Obſtupeſcebat quiſq; in adoleſcente tam antiquam virtutem; fœtidè languentibus ſine ſtomacho regia proles accurrit, cibum, potumquè tolerāter exhibet; morbis feſſos, quos cadaueroſos cenſeres, piè ſubleuat, ſuccollat, lectos, quibus cubent molliùs, componit; morituris ſuprema miniſtrat; functòs vita religioſè condit. Euiſcerat ſeſe totum, mira delibutus dulcedine, in hiſcè factis. Verùm nec litterarum ſtudia inter-

Mira virtutum extpla de ſeipſo prębet Bernardus.

mittit, ſed enixè iſta proſequitur; pietatis enim munus eſt, ignaros edocere. Magnanimi proculdubiò auſus magnæ, auguſtæq; ſobolis.

Bernardus è cathedris docet publicè, eius doctrina vndiquè referta pietate.

CAPVT IX.

PRætermiſſis conſultò ſuprà memoratis exercitationibus, quibus interdum cum ceteris ſodalibus piè alias trāſigebat Bernardus, in litterarum ſtudia conſtantem operam nauabat, cum præcipuè multa illi de Republica credita fides, & munera deſtinata; nihil tā reipublicæ perniciosū afferens, quàm ab ineruditis gubernari. Si enim non à pecudibus, ſed ab hominibus reguntur pecudes; pluſquam ab hominibus, ab ijs nempè, quibus quid commune cum Superis eſt, regi deberent homines. Quomodò enim ſine litteris lites terentur? Quomodò præmonſtrabitur iter ad ſempiternam lucem ab ijs, qui cœci inter ignauiæ tenebras verſantur? Palinurus apud latinum Vatem ſæuam nunciat tempeſtatem, vt vitet, at non, vt ceteri humili loco deſidioſus, ſed in ſublimi aſsidet loco, in alta virtutis, & vigilantiæ ſtat ſpecula. Sapientia mater omnis magiſterij, æquitatis cathedra, bonarum artium nutrix, omnium rerum moderatrix. Dilectionem iuſtitiæ admonebat Sapiens terræ Iudices; ſed quis dili-

Aeneid. 6.

Sap. 1.

gere poteſt, quod ſibi ignotum? Hæc benè hauſerat Bernardus, cuius animus erat ad maxima natus; quapropter, ex quo doctoratus laurea fuerat inſignitus, nunquam, excepto martio illo armorum otio, à litterarijs elucubrationibus abſtinuit, vtquè omnibus perfectiſſimè imbutus erat ſcientiarum diſciplinis, voluit & alios eaſdem ſcientias edocere. Bernardi nomen glorioſiſſimè claruit, & adeò quaquà percucurrit, vt breuiſſimo temporis curſu, inclytus, ſapiens, & eruditiſſimus per ora virùm circumferretur; inter doctos enim illius tempeſtatis primum locum facilè ſibi vendicabat. Inſurrexiſſe Senæ nouas credidiſſes per ea tempora Athenas; non ſolùm enim ex Italicis regionibus, ſed ex longioribus Orbis tractibus celeberrimi viri Bernardum Ptolemæum audituri properabant. De vtriſquè iuribus difficillima aperiebat; Platonem, Ariſtotelem, Stoicos, ceteroſq; philoſophos accuratiſſimè interpretabatur. De moralibus, de politicis, de mathematicis diſciplinis mirè diſſerebat. De ſiderum motibus, aſpectibus, eorumq; in hæc inferiora influxibus; de theologicis theſibus, & ſecretioribus diuinæ naturæ ſtuporibus, ceteriſquè abditiſſimis ſapientiæ arcanis ſermones inſtituebat ſapientiſſimos. Lacteo eloquentiæ flumine quædam impercepta obſcura, ſeù arida, diuino perfuſus lumine, dilucidabat. Nihil vafri, oſtentationis nihil in illius doctrina deprehendebatur. Pietas, qua, vt inſigniori dono, præcellebat, fax illi extitit fidiſſima; illa quidem ab inexhauſto Deitatis fõte lumina hau-

Mira Bernardi ſapientia.

Bernardus candidã doctrinam, moresquè, & animi ſalutem ſuos auditores edocet

ſerat lucidiſsima, illaquè nunquam eius mens deuia flexit à vero, nequè lingua titubauit, vel calamus. Fontibus ſacris inſpergebat Ethnicorum placita è limoſis lacunis hauſta, vt vndiquè mundam auditoribus propinarct doctrinam. Hæc eadem religioſa, & pudica pietas, Deiquè amor feruentiſsimus, effecerat, vt ſemper illis, qui eum audiebant, iteraret virtutum decorem, vitij turpitudinem, ſapientiæ cultum, Numinis formidinem ſanctam; rapiebat omnes verbo, & exemplo. Hinc admirandus fuit, Senenſis præcipuè iuuentutis, progreſſus, erantquè Senenſes moribus ſenes; ij autem diſsitis è locis, qui aduenerãt diuinæ propè ſapientiæ acclamatores reuerſam habebant ſemitam, ita vt Ciues, & exteri omnes firmiter aſſererent natos ad Imperia Ptolemæos, quos in vrbes, in Regna, in hominum animos, & in ſcientias omnes viderant dominatores; ſcholamquè illam ſapientiæ celeberrimam euehebant, nec inferiorem Athenienſibus quondam, vel Lycæis, vel Academijs eſſe fatebantur.

Ptolemæi ad maxima nati.

Ber-

Bernardo conſpicua munia Senenſis Reſpublica ſtatuit, de eademquè optimè meritus iura plura ſancit, egregiè ſe gerit in omnibus.

CAPVT X.

PRobitate, & doctrina celebris Bernardus à florentiſsima Senenſium Republica, ſæpiſſimè, eo inuito, ad ſpectabiliores honores, & onera inſignia, ætate virenti, euehitur. Non expectanda canicies, ſed canus ſenſus, & eſt à Iuuene ſene honor ipſe honeſtatus. Annos nōdum natus viginti inter reipublicæ eiuſdē proceres, & optimates, quos dominos appellare conſueuere, aſcitur. Binos, & vicenos annos vix expleuerat, & Signifer, vel, vt Senarum vernacula vtar lingua, Confalonerius pro tertio, vt aiunt, Camuliæ decernitur. Quinque luſtra numerabat, cum Populi Dux, & totius nobiliſsimæ reipublicæ Senenſis Princeps, auſpicatò, felicioribus auibus, omnium viuis ſuffragijs, conclamatur, conſtituitur. In hoc præclariſsimo reipublicæ apice multa decreuit, quibus vrbs eius patria, & tota Senæ magna ditio diuinis præceptis, humaniſquè ſanctionibus, iucūda pace perfrueretur. Felix quidem Reſpublica, ad cuius ſceptrum manum erexit philoſophus virtutibus, ſapientia, regijs natalibus, probitate

deni-

Multa decreuit Bernardus vt reſpublica Senenſis immunis eſſet à vitijs, virtutibus effloreſceret.

deniquè clariſsimus. Studuit Bernardus ſtatim ac maximum regimẽ illud inijt, diuini cultus præ ceteris incremento, ideoquè ardebat omnes ad bonam frugem allicere; errones ſalutarem ad ſemitam reuocare; deuios adoleſcentes hortari ad virtutes; litterarum ſtudia ſplendidè augere; in ſceleſtos piè ſimul, & fortiter aduertere; probos viros præmijs cumulare, in patriam virtutes plurimas introferre, immunemq; potiſsimùm ab impetu, turbis, reliquiſquè ſceleribus reddere. Vetuit omne Catholicorum cùm Iudæis (quippè quos perfidos ipſa Eccleſia appellat) commercium, ſciens ex illa hominum fæce conſuetudinẽ futuram exitialem: ſeueriſsimis pœnis coercuit fœneratores, feſcenninam poeſim, ac petulcas muſas, tanquam reipublicæ luem, imitatus ſapiẽtiſsimos viros Platones, Lycurgos, Auguſtos, à Senenſi republica procul expulit, & relegauit; facinoroſas confabulationes, & conuenticula radicitùs auulſit; patet ſiquidem magis à flagitioſis ciuibus, quàm ab exteris hoſtibus atrociſsima Repuſpublicis bella inferri; nullumquè peius malum, quàm quod inter domeſticos parietes, vt ſęua flamma, excurrit. NON benè patitur pax ciuica factioſos. HOS Catilinas quiſquis regnas expellito, melius timebis linguam, quàm manum. Eiecit inſuper è patria pellices, vitiorum ſatores, corruptores iuuẽtutis remotiùs exturbauit; ludicra, & obſcena theatra, vetitos à ſacris Præſulibus libros, ludos molles, & effeminatos, ſcurras, blaterones, paraſitos, iactatores, vmbratiles

Mar-

Martes,nebulones,ebrios,& id genus homines, tanquam Reipublicæ inquinamenta longiſsimè eiecit,diſsipauit,perdidit. In mẽdaces,periuros, blaſphemos, adulteros, libidinibus captos irruit hoſtis acerrimus; luxuriantes veſtes, dotales exceſſus,ſumptuoſa conuiuia, non æquam ſupellectilem,æquiſsimos ad tenores redegit. Peccatorũ laqueis irretitos multos ſcelerum pœnitentes fecit; puellas in pudicitiæ diſcrimen adductas ſanctis nuptijs à pudoris iactura vindicauit. Pro iuuentute educanda gymnaſia erexit, quæ Reipublicæ propugnacula vocabat. Ad tanti Principis typum mores Ciuitas omnis Senenſis componebat ſuos; ipſi ſenes,& proceres ſapientiſsimam Bernardi virtutem, tanquam prodigium venerabantur. Primus omnium paſſus eſt ipſe iura,quæ ſanciuerat. Statuto tempore Xenodochia, carceres, & miſeros omnes,vel ferro detentos, vel morbo languentes,nequid pietatis deeſſet,inuiſebat,imitatus ſępe Alexandrum,qui vulneratos ſuos milites propria manu dicitur medicatus. Nõ in longum ergà innoxios, vel contrà ſontes decreta differebat, præfiniens ipſe tempus cauſæ dignoſcendæ, nec quidquam eo inconſulto decernebatur. Peſsimè vtiq; labant membra nutante capite; nunquam inſontium ſanguine fœdabat ex incuria manus. Sedebat,ipſo moderatore,in ſuo regali ſolio æquitas,æquitatis ſtudium collegis Iudicibus ſuadebat, eos monens ſæpiſsimè eadem lance à Deo dijudicandos, qua alios pōderaſſent. Diuos patriæ Patronos,ac Tutelares

Opera miſericordiæ reipublicæ Princeps exercet.

Pietas ergà Diuos Patriæ Tutelares, et in res ſacras.

cultu magnificentiſsimo iuſsit concelebrandos, ac ſublimibus templa pompis ſplẽdeſcere. Adeò tunc floruit, cùm ſenili conſilio noſter Bernardus iura ferret, Dei amor, proximi ſtudium, ſalutis ardor, Ciuium bonum, & innocentiæ cultus eximius, vt iure quidem optimo dixiſſes meliùs ab ipſo geſtam Rempublicam, quam difficillimis monitis tradiderat gerendam olim Plato.

Hæc inter glorioſa geſta, inani gloriæ, mali Dæmonis artibus miſerè ſuccumbit Bernardus.

C A P V T XI.

Mira Bernardi ſapientiæ fama.

ARx illa horribiliores in hoſtes perpetuùm ſtatura, generoſis munita virtutibus, vallata tot congeſtis diuinæ benignitatis opibus, quã deterrimus Satan, Dæmon vafer, toties arte ſæua arietauerat, licet irridẽdo conatu, nunc (Proh rerum volubitatem humanarum!) inſidioſè ſuperbiæ machinamento, humilitatis labante fundamine, miſerrimum in modum corruit. Quinos denos annos incredibili penè ſpiritus feruore traduxerat Bernardus, cùm humani generis hoſtis conſcius nequiuiſſe adoleſcentem iam, pro ſuo arbitratu, ſternere in armis, ſtuduit, rabie actus ſtygia, firmiori in ætate deijcere, vt lapſum eò altiorem, & truculentiorem offenderet, quò magis, tumidus ſuperbia, iactantiæ gliſcente Noto, efferretur. Nouus Ariſtoteles, viuens Plato,

ipſe Lycurgus circumferebatur hetruſcus noſter Sapiens, eius doctrina miraculo ſimilis habita, nemo ea tempeſtate illi par, ſæculi illius feliciſſimi gemmam vnicam affirmaſſes, & vnicum phœnicem. Gloriabantur multi, (ac alter ipſe eſſet Pythagoras) eius eſſe potiùs auditores, quàm multorum doctores. Confluebant vndiquè Senā, vt ſapientiſſimis Oraculis à Bernardo erudirentur. Omnium oculi in illum conuertebantur, frequentiſſimæ turbæ ab eius ore in ecſtaſim raptæ, pendebant. Hinc callidus Dæmon inanis gloriæ peſtilens virus inſpergere cœpit, pietatis ſuccos exhaurire, inceſſanti violentia pacatiſſimum animum exagitare. Areſcit interim Bernardi mens, & paululū noſter inclytus Anteſignanus ſui immemor, intumeſcit, torquetur ſuperbiſſimo ſpiritu, & veluti cęco merſus pelagi turbine, miſerrimè fluctuat, iam ceteros deſpicatos habet, ſe omnibus præfert iā impares propriæ virtuti quicumquè oblati honores videntur; iam ſeſe effert, ac iactat dignum, qui plures regat Orbes, cui noua aperiantur terrarum climata venerabunda, buccinantia ſuam ſapientiam. Queritur ſecùm non pro meritis, pro dignitate dignoſci, omnigenam eius doctrinam non agmine confertiſſimo acclamari, adorari. Lamentatur coerceri anguſtos inter carceres, vel Hetruriæ, vel aliquarum Regionum cācellos. Vndequaquè venerationem venatur, placet illi digito oſtentari non ſolùm ab eruditis, & litteratis viris, ſed à muliercula, & abiecta plebecula; omnes in hoc vno volebat ſa-

Superbit ebrius ſua ſcientia Bernardus.

pientes, vt ipſum omnium ſapientiſsimum haberent. Ex hac effræni gloriæ libidine, æſtuque; mœſtitudo, & macies quædam pallida oboriebatur, qua ferè omnes ambitioſi, & ſuperbi infeliciter moleſtantur. Dedignabatur ceterorum philoſophantium celebrioribus placitis aſſentiri, erubeſcebat ab alijs, quàm à ſeipſo doceri, complurima ſuoptè ingenio ſuperbè nouabat, potiùs ad ſui iactantiam, quàm ad auditorum vtilitatem appetebat diſſerere. Hinc obſtruitur Bernardo ſemita ad pias proſequendas exercitationes; non inuiſere, non ſolari morbis, vel carcere afflictos curat: diſplicet humiliora quondam exercuiſſe ea miniſteria, quæ nūc infelix abhorret. Sodalitium illud virtutum domicilium, aut penitus deſerit, aut raro, frigido quodam ſtimulatus vſu, adit. Euanuere, velano ſuperbiæ aſpectu, tot pietatis, tot virtutum, tot exempla illuſtrium facinorum. Acceſsit, quod perniciem fouit, intima quorumdam nobilium familiaritas, qui candorem innocentiæ Bernardi, & ingenuos mores profanis colloquijs, poeticis nugis, & ludicris ſcenis commaculauere. Sic inſumebat flebiles horas leuandæ mœſtitiæ ſtudio, flebiles inquam horas, & fletu largiſsimo dignas, vt ipſe defleuit poſtmodum mœſtiſsimus Bernardus. Amans es Deus, errantes non odiſti, aufugientes vocas, expectas, humanam imbecillitatem diuina ponderas tolerantiæ lance.

Deſerit Bernardus multa pietatis opera.

Mul-

Multis intentus ludicris Bernardus miſerrimè deſipit.

CAPVT XII.

NOn ſolùm ergò de primo penè angelico ſtatu deiectus Bernardus tepuit, & vacua ceù cymbula fluctuauit ſuperbiæ ventoſis aquis, ſed omninò euanuit charitatis ardor, peſſumquè ſe terrenis ſæculi delicijs, & illecebris dedit, nil amplius moratus cæleſtia. Deliciæ eius, longè ab Vrbe rus colere, villicari; deniquè viro principi arridet (caniciem exuto venerandam) ruſticari. Cura illius, atq; ſollicitudo voluptario ocio indulgere, pomeridianis horis luſibus vacare. Vacua cum iactantia ad vacuas ſiluas eiecit. Equitare per nemora, remotas permeare valles, frondoſos luſtrare montes, ſpecuum receſſus, ſiluas cęcas penetrare ſecretiùs, venaticorum agmine canum ſtipari, lepores, & damulas inſectari ſunt noſtri ſtudia effeminati Alcidis. Fit ipſe volucrum hoſtis, omnium volucrum mobiliſsimus. Amicos multos, multa ſecum ducit garrulitate, equitant, ſaliunt, diſcurrunt feſtiui, ardent inter dumeta, & antra muſco viuo virentia, ferarum inueſtigare veſtigia, fallere nodoſis laqueis. Anhelant omnia venandi perficere ſtudia, ſaltus opacos cingere indagine, rauco cornu clangore ſomniculoſas excitare belluas, perterrere, latratibus fugare,

Rus colit Bernardus.

Venatui incumbit.

cla-

clamore petere, ſectari fugaces, curſu, & iaculo fatigare, agitare moloſſos; vel excuſſa lancea, & iacto telo, vel quaſſo venabulo transfigere ſpumantes apros. Pleni ferinæ cædis, per auia nemora, & præcipites valles iuuat ruiſſe, conſcendiſſe montium iuga, ſtrauiſſe multa ſtrage feſſas animantes. Tāgit Bernardum ſiluarum gloria, quem iam tetigerat ſplendor lycei, & litterarum maieſtas. Delectantur aures Echo per caua ſaxa ad latratus canora, quæ quondam ſapientiæ concertationibus oblectabantur. Pharetratæ Dianæ ferinas inter cædes in ſaltu bella gerit, qui iā in ſodalitijs ſacris militauerat Chriſto. Fallit doloſis laqueis feras, qui ſcientiarum callebat meliùs nexus exſoluere. Amat pallentes lucos, & ſilueſtres excurſus, qui religioſa delubra ad plurimam noctem multa prece coluerat. Scrutatur nunc longè ſepoſita latibula ferarum, qui ſelectiora ſcientiarum rimatus fuerat arcana. Qui iam inter difficiliores fuerat labyrinthos verſatus, ſeipſum nūc inter dumeta, & ſpinarum tricas inglomerat. Qui de inſcitia glorioſum erexerat triumphum, nunc, vel feras triumphat, vel triumphatur à feris. Qui, vndanti, obambulabat vrbem, auditorum, & nobilium turba ſtipatus; nunc inſequentium canum grege vagatur per nemora. Et vtinam ſolum ſiluę Bernardi animum detinerent; ſæpè numero venatorijs dolis demiſſis, venatu feſſus, inter piſcoſa fluenta, lacuſq; tranquillos ijſdem vnà cum amicis curua vectus phaſelo terit, incumbens piſcatui, irremeabiles dies. Fallit eſcatis hamulis

Magna Bernardi mutatio.

Piſcatui operam perdit.

piſces,vel nodoſis eos retibus implicat;contemplatur interdum è crepidine fluminis deceptas ſquamoſas turmas, piſceſquè venatrice pendentes arundine, alios ponderoſis naſſis tractos ad littus,pleroſquè,vel madentibus linis, vel vimineis labyrinthis concluſos.Hæ ferè diurnę occupationes Bernardi; ſed nec nocte illecebris abſtinet. Noteſcit cunctis clariſſima ea fama nocturnarum Senenſium vigiliarum. In his nobiles promiſcui ſexus ingenioſis ſcommatis,& fabellis,nigras fallunt horas;placidis tripudiantes perſultāt pedibus;citharis,& fidibus harmonico tympaniſtriarum;& fidicinarum contentu. Ludicris illis vigilijs ſe commiſcet miſer Bernardus, interquè vultus laruis obductos verſatur, & inter iocoſas delicias. Perſonant lætis ſalibus facundiæ acumine,& lepido riſu tecta. Teneros luſus ineunt; mutua geminant gaudia,iocantur ad cyathos,inter lyras,fiſtulas,& buccinas ſæpè repetunt choreas, dulces illecebras, mollioſiores iocos,mulcentq; omnia cantu. Ibi inuitamēta poculis ſpumantis meri plenis,ibi læta, & ſumptuoſa conuiuia; nec nunc amplius abhorret infelix ab his, quæ iam ceteris damnans inhibuerat theatralia, & profana ſcenica.Exiſtimaſſes Bernardū noſtrū nouum illius ætatis Salomonem, omnem ſapientiæ, ſeueritatiſquè exutum ſenſum, in alium mutatum virum, deſipuiſſe miſerum ludicra omnia tantùm conſectari, atquè cecidiſſe à cæleſtibus totum ad terrena tranſpoſitum.Tantum eſt,(heù monſtrum) humani pectoris volubile conſilium!

Laſciuit in vigilijs nocturnis Senenſibus.

Senenſium vigiliarum deſcriptio.

Tanta diuinæ tolerantia benignitatis! Sequere Bernarde ſiluas, ſequere vndas, & ocia, nec tuis ſiluis diuinus ſterileſcet amor, nec ipſis vndis deerit diuinus ignis.

Bernardus ad inanis fomitem gloriæ difficillima axiomata tradit diſcutienda, ſed diuinitùs excæcatus ſe omnium inſipientiſſimum, & miſerrimum nouit.

CAPVT XIII.

Bernardus tactus honoris ſtimulo torquetur.

LEnteſcebat rumor ille, cui præ omnibus, ambitioſo faſtu, Bernardus ſtuduerat ſua ſapientia elatus. Nihil enim bonæ famæ labefactandæ aptius,& bonæ doctrinæ opinioni,vel cuiuſuis rei eximio decori,crimine. Nec quidem poterat, vel inter ipſas Mundi voluptates, conſcientiæ vermiculo, non contorqueri, non morderi noſter Bernardus. Transfigebat enim viſcera honoris ſtimulus, quem ſuſpicari prudenter occeperat deperditum. Angebatur,ſe duce, lapſos pleroſquè in vana, & ludicra, quos ipſemet quondam efformauerat ad virtutem. Erubeſcebat ſecum penès probos,& ſenili ſapientia viros, eſſe contemptui. Pudebat illi ſodalitiò intereſſe, vbi iam tot virtutum ſigna dederat, ac ſanctimoniæ. Contrà ſtimulum tamen, vel honoris, vel

con-

conſcientiæ calcitrabat voluptuoſa vita; eodem ergò ſuperbiæ tumore, & inanis rumore gloriæ inflatus ex intimis latebris quarumlibet ſcientiarum curioſiùs quædam conquirit, excerpit, de ijſdem axiomata edit apertiſſimo diſceptaturus campo, fusèquè docturus; atquè, vt eius ſapientiæ fama longiùs, latiùſq; diffunderetur, circumquaquè promulgari iubet, vt Senam conuenirēt è diſſitis locis viri, vel eruditiſſimi, ipſum audituri, & cum ipſo de vulgatis theſibus concertaturi. Iam Lycæum illud, quod appoſitè Sapientiæ nacta eſt nomen, litterarium eximij ingenij Bernardi theatrum luculento apparatu inſtruitur; illuſtri pompa expolitur, ſericiſq; ſuggeſtus, è quo lacteū illud flumen eloquentiæ torrētiſſimum perfundere ſtatuerat Bernardus ad ſcientiarum affluētiùs ſuperbas opes pandendas. Aduolare, confluere plerique Senam adituri, audituri non in Delphicum illud mendax, ſed verax oraculum Senenſe, veritatis nempè portentum, vti aſſerebatur. Indicitur litterarijs concioni, & concertationibus tēpus. O rem mirādam! Decretæ diei proximiore nocte, ecce lumine, oculis captus Bernardus. Iactato nunc tuas palmas, tuos decores mortalis faſtus! Cœcus heu Bernardus. Diſcito tandem malè cauta hominum ſuperbia tumores exuere. En quem cœperat ſuperbia capit cęcitas. Non vidct iam, qui ceteros deſpiciens aſpiciebat. Cœcis obuoluitur tenebris, qui aperta in luce appetebat plauſus, vmbras manu tenet inanis palpator gloriæ. Exclamat hæc inter ipſe cœcus: *Bernardus fit cœcus.*

Bernardus in cæcitate Deum flagellantem agnoſcit.

Bernardus in cæcitate ſuos errores deteſtatur.

Manum agnoſco Numinis ferientem,paulò ante ſuaui lucis fruebar vſura, nunc à veræ lucis candore remotus merita obfundor caligine. Inania ſunt inani ſuperbo,cœco Bernardo medicamina, ars omnis medica inutilis; non enim hæc ipſius naturæ miniſtra naturę fines potis eſt pertranſire. Nulla, hinc indè ciens caput infelix, naturalis eſt origo, inquit, meæ cœcitatis, ipſius Dei omnium authoris eſt opus. Quid mea mens effera acta in facinus,facinoris non prætermiſit? Quid inauſum,intẽtatumquè? Quis error?Quæ culpa? Corrui per omne nefas, per omne vetitum, non veritus ipſe rempublicam meam fœdiſsimis violare vitijs. Quos nõ corrupi oculos meis oculis? Ijs oculis,qui mihi dati ſublimes,vt cælum intuerer intuitus terrena deiectos habui. Priuer oculis non benè vſus oculis. Obruat tenebris contemptor lucis. Fœdaui ſceleribus meis aureum cælum, ſidera violaui puriſsima, lucem eam perennem oculis funeſtaui. Quid ergò ſi in tenebris verſor, & lumen cæli non video longior factus, meo vitio,à Deo meo,Sole,luce mea? Sic mentis oculi ab oculis corporis clauſis recluduntur. Indicitur Bernardo cęcitas,vt velut alter,ſed nobilior Democritus contempletur non ridens,ſed lacrymãs terrena, non cæleſtium Orbium motus, ſed conſtantiſſimum Motorem. Excœcatur Bernardus non à ſemetipſo,vt ille miſer ſtulteſcens, ſed à Deo, vt ſit verè ſapiens, & verè ſapijt cum reſipuit; melius vidit erutis oculis,quã oculatus. Nouit animi ſordes corporeæ fuiſſe cœcitatis

cau-

cauſam, & cœcas ſenſus illecebras peperiſſe orbitatem,& iure ambulare vt cœcum,quia in Deũ Lucẽ peccauerat.Fatetur ſuperbuiſſe vt Nabuc, perindè dum ſeipſum hominem vidiſſe non ſategit mendicum,extitiſſe dignum,qui orbatus oculis,ſe menté videat belluam deſpicabilem per deſerta loca inter caliginis areas fęnum propriæ vilitatis eſuram. Nouit vt Samſon laſciuiſſe,atquè ideo excœcandum ab eodem inanis gloriæ Idolo,cui ſacrificarat, ſeq; ipſum litauerat,ac deuouerat. Errata mente recolit,diſcutit,ingemit,lacrymatur.Quam inanes ſunt,inquit,Mundi pompæ, apparatus, quàm exigua, quã innumeris omnia, ſub Luna, caſibus obnoxia! Affulſit mentis oculis diuina lux,& dolens, pectus clauſis palmis agitat, lacrymas profundit, exorat Deum, obteſtaturquè vt ſui eum miſereat; inhiat efficacioris gratiæ radio, & ſi oculis labefactatis, etſi binis luminum pupulis vaneſcunt omnia in tenebris merſa, ſaltem manibus,in cęcitate exquirit Deũ, tenet crucifixum,ipſumq; iteratis efferuẽtiſſimis amoris amplexibus nunquam relicturus obſtringit.

Soph. 1. *Daniel. 4.* *Iſai. 1.* *Bernardus in cœcitate nouit ſe pœnitere.* *Pſal. 76.*

Peruadit interim cęci Bernardi rumor Vrbem totam Senam. Triſtantur exteri,qui aduenerant auditurі,luget Patria viri caſum, collacrymantur omnes; ſocij verò ſacri Sodalitij tenebras Bernardi perſpicaciùs, & lucidiùs contemplantur. Extollunt ſinguli ſapientiſſimæ Numinis abyſſi conſilium, ſperantquè errantem ouiculam per mundanos anfractus,per ſuperbię,inaniſquè glo-

riæ apices præcipitem, per voluptatum valles deuiã Satanæ faucibus expoſitam, ad ouile demùm amantiſſimi Paſtoris Ieſu, à quo ſuperbè diſceſſerat, ſtimulo illo cœcitatis reuerſuram. Sciebant punire Deum ad monitionem, ſternere ad ſalutẽ, affligere ad beatitatem, perimere ad vitam. Intereà amici, conſanguinei, Senatores, Nobilitas omnis, Reſpublica tota Senenſis ad ædes Bernardi confluunt inuiſuri cœcum; mœrebant, cruciabantur pro amico, pro Duce, pro Reipublicæ oculo de amiſſis oculis, & ipſi ſolamine egentes ſolabantur vtcumquè Bernardum cœcum.

Bernardus Ieſu, & Deiparæ votum nuncupat pro amiſſa luce, fitquè diuinitùs lucis compos.

CAPVT XIV.

LVceſcit in illa diuina caligine Bernardi mẽs, fuereque illæ oculorum tenebræ eximij luminis oculeæ mentis origo. Clauduntur mortales oculi, pateſcunt immortales clariores; & ò quàm meliùs ille nunc his mentis oculis videt cœcus, quàm viderat videns; vidit in corporis cœcitate cęcitatem lõgè obſcuriſſimam animæ, illam, vt temporariæ vmbram mortis, hanc perpetuæ mortis imaginem. Vidit cęcus, & benè diſcriminat nũc quod lumine pollens nondũ agnouerat. Vidit ſeipſum præcipitem, fragilia videt

Multa videt in ſua cœcitate Bernardus.

gesta,

geſta, videtq; fuiſſe in nocturnis fabulis ſuæ patrię fabulam, & vtinam ait, profundo è cordis intimis ſuſpirio emiſſo, vtinam ipſe luam hac cęcitate corporea cęcitatem mentis. Vidit cęlum ſimul, & barathrum. Inhiat iam corporeæ luci, vt virtutis exẽplis benè extrueret, quod malè deſtruerat. Virginem ergo pijſſimam mediatricem, cui ab ineunte ætate fuerat addictus, ſupplicibus precibus adit, votoquè compellat flagranti, & irreuocando. Spondet Ieſu, quod ſi vnquam deperditæ luci reſtituatur, ea vſurum ſe impoſterùm non amplius ad perniciem, ſed ſolùm ad animi ſalutem; clauſurum ſemper oculos ad lethales illecebras, ſacroquè ſe mancipaturum Eremo, inter inhoſpita teſqua Deo tãtùm vitam traducturum. Sic vouet, ſic firmiſsimè ſtatuit. Mirum! Habuere alas perniciſsimas, volauere extemplò ad Dei thronum, ad Virginis ſolium feruidæ preces, quę benigniſsima Virgo veri Solis Aurora, & nũcia, & ipſius Genitrix luminis, vtpotè tota perfuſa luce, cuius aurea coma ſidereo redimitur ſerto, cuius manus tornatiles cęruleis plenæ hyacinthis, cuius amictus lucis radijs texitur, cuius ſub pedibus radiat Lunæ cãdidę globus, luminis ipſa tota ꝓdiga, ecce ipſa è Bernardi oculis ſua lucifera manu tenebras diſcutit, pellit, fugat, redditq; lumen lumine capto, diemq; clarũ. Fugatis tenebris in lucẽ ſereniorẽ exerit oculos, diuinitùs haurit cæli lumẽ Bernardus, ꝓſoluit gratias, effundit ingẽti præ gaudio lacrymas vberes pro reſtituto viſu ad pijſsimæ Virginis pedes. Hæc inter fa-

Votum nuncupat pro luce deperdita.

Cant. 5.

A Beatiſsima Virgine cęco Bernardo reſtituitur lumen.

ma

ma eadem, quæ oculis orbatum prædicarat,eũdẽ etiam, videntem clarè prænunciat. Fauſtiſſima ea dies illuxit omnibus;ingens Reipublicæ,ingẽs fuit amicorum, ingens ſodalium, exterorumquè omnium,qui Senam Bernardum audituri conuenerant,gaudium. Complentur ædes confertiſſimis turbis. Omnes gratulantur, plerique orant, ſolicitis precibus obteſtantur, vt promiſſis faciat ſatis,nolitquè inani cunctos expectatione ludere,ſequè à Cathedra diſſerẽtem, omneſquè edocentem præbeat. Spondet non modò ſe ſtaturum promiſſis, immò certam diem ſibi verba facturo decernit,qua illuceſcente,confertiſſima multitudo conciliati Patrum Ordinis Senatorij,Togatorum,Nobilium,Ciuium,Exterorumquè ſeſe in vndam profert. Adit illuminatus Orator Sapientiæ palæſtram inſueta pompa fulgentem. Conſcendit ſapientiæ Cathedram illius ſæculi, vel Cato,vel Salomon. Pendent ex eius ore ora,animi, oculi, aureſquè omnium, ipſe humillimè Auditorum intuitus,& veneratus Theatrum,orationem præter omnium expectationem de Mundi contemptu habuit, atquè in hunc ferè modum exorſus.

Ingens omnium lætitia pro Bernardo lucis facto compote.

Promittit ſe è Cathedris verba facturum.

Con-

Concio de Mundi contemptu in Schola Sapientiæ Senæ à B. Bernardo Eremum conceſſuro habita.

CAPVT XV.

SI vnquam ex hoc nobiliſſimo, & aptiſſimo orationis loco, curioſa iuxtà, & vtilia, conſeſſus hic veſter, Auditores præclariſſimi, auido animo percepit, auribus hauſit, memoria cuſtodiuit. Si magnum vnquam quid vobis viſum ſingulas, ſingulis ſermonibus meis, percipere diſciplinas, nunc curioſiora, & vtiliora vobis proponenti, nunc omnes diſciplinas vnica hac mea, & omnium nouiſſima concione, aperienti, faciles aures, & quod magis exopto, animos faciliores, ſpero mihi vos impenſiori cura, & ſtudio præbituros. Non audituri vos hodiè me Idæas platonizantem ſupra ipſos cęlorum vertices, nec cum Stagyrita penitiora, occultiora naturæ perſcrutantem. Non orbes nouos in Lunæ orbe deſignabo, nō Terram ſua graui mole iacentē æternùm. Non nantia ſidera, aut cælo inhærētia; non aſtrorum meatus, ſeù vertigines; nō maris ſalſedinem, æſtumquè, atq; alia, id genus, explicabo. Sunt hęc ſpinoſæ ingeniorum curæ nullo prorſus emolumento, in quibus mens humana obuoluta ſiluecſcit. Proponam, & exponam mihi, vobiſquè quæſtionem omnium latiſſimè peregrinam, & experto mi-

to mihimet notiſſimam. Tenebras oſtendam lucidiores eſſe ipſa luce; lucem ipſis tenebris tenebroſiorem. Demonſtrabo captos oculis ſapientiùs, & acutiſſimè videre, oculatos præ omnibus cęcutire. Omnia cæli clauſa ampliſſimo gyro pũctum eſſe, & nihil; & id quod nihili faciunt mortales eſſe omnia. Quid per veſtram fidem, Auditores, curioſius, & quid his quæſtionibus vtilius? Quid à luce longiùs dicetis vos, quàm tenebras? Quid à tenebris remotius, quàm lucem? Quis iſte lynceus in iſto lycæo carens lumine? Quis iſte cęcus Argus in hoc theatro ſcatens oculis? Quæ noua iſta cognatio lucis ad tenebras? Quæ affinitas nihili ad omnia? Hanc probabo Mundi ſectatoribus. Tu mihi Deus Optime Maxime, Tu Deipara Mater, & Virgo, vos Superi beatiſsimi, quos iam in lucubrationibus meis rectores, vel aduocatos habui, & peculiaribus precibus volui lucidiores aperite nunc mihi vndas, & ex meo ore fontes date fluere vberes, & ſalutares. Et vt clariori luce clariſsimam meorum thematum veritatem hauriatis, vmbras à veſtris mentibus fugate omnes, tenebras ſoluite præteritas.

Percrebuit Auditores meæ cęcitatis rumor, vidiſtis me non videntem, verùm quænam fuerit origo, quiduè cęcitas mihi præſtiterit, non vna fuit omnium, nec fortè nunc eſt ſententia; fuiſtis (& quis ſcit an modò ſitis?) meæ cęcitatis cæci iudices. Cęcitatem meam mea ſcelera peperere, & ipſa cęcitas peperit mihi lucem, & in tenebris, quas à Deo habui in pęnam, effulſit mihi lux purior,

tior,& penè diuinior. Vidi cęcus,quod videns non videram, & vmbras inter penitiſsimas mortalia omnia optimè noui. Fauſtiſsima mihi nox tanti luminis parens.Videram iam antequàm cęcitatem mihi Deus benignè elargiretur , hæc mundana ,quaſi quid omne forent . Vidi benè cęcus ea omnia nihil eſſe. Vidi in hoc nihilo,velut lethales ad ſyrtes ruere præcipites, mori mortales . O quam benè vmbræ illæ meæ fuere lucidiſsimæ! Claudite quæsò mecum tantiſper tot pro ſæculo oculos, & metimini mentis lumine vniuerſa hæc intra concaua cæli concluſa, & luxus faſtuoſos, & ſuperbas opes, & ſceptra, & coronas, Regna,& Imperia,porticus,& academias, corporis ſpeciem, animi robur, armorum fulgorem , cataphractos exercitus, ſagos, & togas, & intuebimini omnia volubilia , fugacia , nihil, & mortales pro his æterna,omnia peſſundare. Quid enim Orbis hic vniuerſus , cuius fines nos miſeri cœci ſomniamus in immenſum porrectos,ſi cum cælo compoſuerimus,niſi punctus nulla dimenſione partibilis ? In hoc puncto inſanimus,angimur,deprimimur.Sub hoc puncto carbaſa damus ventis, armis digladiamur , minuſquàm de ſemipuncto certantes . O ridiculos fines ! Somniauit Alexander , inſipienter dictus Magnus (Quis in puncto quæsò Magnus?)plures Mundos,& fudit lacrymas, & cum neſcio quid Deitatis molitur , mortalem ſe tandem, & vermibus non imparem, luteamq; carnem agnouit, dediſſetquè libenter pro philoſophico Diogenis expilato pallio aura-

tam chlamydem; pro dolio, (pauperrima philoſophi caſula,) prædiuites aulas, pro vili ſcutellula, gemmantes pateras. Defuit Pompeio vniuerſa terra ad triumphum, defuit & pauperculo modica terra ad ſepulcrum. Triumphat de Parthis, de Gallis bellicoſiſſimus Cæſar, & tandem impiè ternis, & vicenis ictibus miſer confoditur. Belliſarius Vuandalos trucidat, Italos perterret, Orbem commiſcet, atqui tantorum geſtorum terminus quis? Cœcitas, & egeſtas miſerrima. Emēdicat panem fameſcens, qui Regna fame expugnarat. Palpat triſtes vmbras terror rutilantium agminum, & nihil inuenit humanæ amplexator gloriæ. Audiſtis Dionyſium Syracuſanum ex Tyranno Ludimagiſtrum. Demiramini ſceptrum verſum in ferulam; ex fera bellua crudelitatis, monſtrum puerilis diſciplinæ. Accepiſtis ſeniorem Marium de Iugurtha Rege triumphantem (Sylla inſectatore) in limoſis minturnenſibus deliteſcentem paludibus trementem, fœdum, infeliciſſimum. Noteſcit vobis Tarquinius Superbus Romanorum Rex nouiſſimus militari gloria perilluſtris, regio deiectus ſolio, ſub Cumarum Tyranno miſerrimè cadens. An non inſpicitis Perſium Regis Macedoniæ filium eò adactum egeſtatis, vt ad pellendam famem regiæ immemor famæ, Regijquè decoris, in fuliginoſa Fabriferrarij officina folles inanes exagitet, vt excitet ignē, exagitatus ipſe dolore. Agitat ignem infelix potiùs ſuſpitiorum, quàm follium ventis. Inter incudem, & malleum malleat ferrum conſciſſa ve-

ſte, immundo præcinctus linteo, ore turpato carbonibus, ſudoreq; madidus, viliſſimi artificis nobiliſſimus famulus. Inſpicite Mitridatem Ponti Regem tot clarum trophœis, in cœcos carceres truſum ſibi ipſi mortem conſciſcentem. Ea manus, quæ tot militum ad gloriam captandam fugarat cateruas in ſeipſam furit omnes vnico ictu pompales ademptura triumphos. Proponite vobis Policratem Samiorum Tyrannum ſuſpenſum cannabe, fune claudentem fauces, & vitam. Darium aureis compedibus vinctum, multis confoſſum vulneribus exſpirantem. Baiazetem Turcarum Regem regios curuantem humeros victori Tamurlano equum conſcendenti. Priamum tot Regum parentem, ſepulcri egentem poſt fatum, & flammæ ad Rogum, ardente Troia. Achillem Pelei filium Troiani belli fulmen, Ilij excidium ad Apollinis ſimulacrum à Paride occiſum. Vrbis, & Orbis idolum iuxtà, & ludibrium Seianum, quò Imperio vniuerſi viciniorem, eò famoſæ neci proximiorem. Nonnè temporis momento ad culmen felicitatis euectum conſpicitis, & datum ad barathrum miſeriarum? Prætereò Heroinas Reginas, Cleopatram ex Ptolemæis regibus ortam ſponte peremptam. Zenobiam eodem ſtipite natam põderoſis circumplicatam catenis ab Aureliano Imperatore in ignominioſum tractam triumphum. Hecubam Troianam ex Regina famulam, tot filiorum necibus dolore inſanientem, infeliciter obeũtem. Quot Reges inſepulti, abiecti auibus, vel canibus laniandi? Quot ſua dexte-

ra,ſuo ictu interfecti? Quot coronæ aureæ, quæ Regum auguſtiùs cinxere tempora factæ ferreæ turpiùs vinxere eorumdem pedes? Quot imperantes onerati ferreis laqueis in ſeruitutem redacti? Quot dati ſeipſis præcipites? Quot fame abſumpti? Quot exercitus triũphatores triũphati à morte? Inſpicite tumulos, buſta, Cadauera, cineres. Vſus ſum profanorum exemplis, vt ab ipſis profanis redarguantur profani. Sed quid memorem monuméta ſacra? Nabuc ex regia ad nemus, ex fero Rege in feram efferam mutatus, & qui iã regijs dapibus veſcebatur, vix vili fœno, beſtiarum pabulo, excutit famem. Quid Saul regem necis cupidum ſuo ferro cadentem? Quid Sedechiam ex rege mancipium, catenis onuſtum Babylonem protractum excęcatum, miſerrimè vita functum? Quid Iezabelem è turri in præceps deiectam, equorum protritam pedibus, deuoratam tandem à canibus. Fumo ſimilis hæc Mundi gloria, quò aſcendit altiùs, eò citiùs euaneſcit. Quã tula hæc felicitas? Tãtula, vt contrahatur ad dies, ad horas, ad puncta, ad momenta, vt citiſſimè fugiat. Quid diuturnum in ſæculo, ſi nec ſæculum ipſum diuturnum? Sol ipſe velociſſimè raptus annos rotat, & ſæcula, nec ſupereſt deniquè momento momẽtum. Quid ſtabile in Mundo labili? Mundana, dùm floreſcunt, exareſcunt, gloria ipſa caduca, & languens. Morimur, & quaſi aqua dilabimur non amplius reuerſuri; bullæ ſumus tumeſcentes, inaneſcentes. Spatiolum inter huius vitæ ingreſſum, & egreſsum, ipſe ingreſſus egreſſus eſt.

Id quod dicimus, quod manet manat, & fluit, nec tantillum durat. Dum dormimus, tempus euolat, & ad ſepulcra, curſu labente ſinè mora agimur velociſſimè, cōcitatiſſimè rapimur. Sauli regnum promittitur, & pāditur ſepulcrū. Nihil felicitatis, nihil ergo perenne ſub cælo. Bracteata eſt hæc Mundi gloriola nullis nixa radicibus. Somnia ſunt, viſioneſquè nocturnæ. Conſueuit Deus dormientibus oſtendere Mundi gloriam; Sic patefecit Ioſepho, Pharaoni, Nabuco, & ceteris; ſomniantium enim bona ſunt, vmbra, vapor tranſiens, cęcus fumus, ſcenicum, nihil. Quid ſodès Regno fragiliùs? Quàm ponderoſa geſtantibus ſceptra! Regum coronæ ſpinis potiùs texuntur, quàm gemmis. Magis lugent aulæ, quàm caulæ. Turres illæ proceriſsimæ quàm aptæ fulminibus! Momento antiquiſsimi rapiuntur, & abſumuntur fulgores. Quæ amicum iam tempus erexit, edaciſsimum deuorat tēpus. Vbi Perſarum felicitas? Darij theſauri? Macedonum Imperium? Aegyptiorum ditio? Aethiopum Regna? Europa quaſſata bellis, Aſia diruta, & cetera omnia, ſuſquè, dequè iactata veluti marinis fluctibus. Vbi Dianæ templum? Qua manu ſacrilega, quibus auſis incenſum, cinefactum? Vbi Pyramides? Vbi mœnia miracula Memphis? Vbi Portæ Thebarum? Vbi Solis ſimulacrum? Vbi Artemiſiæ Mauſoleū? Vbi Vrbes? Vbi Regna? Vbi Regnatores? Fuit Ilium, & ingens Teucrorum gloria, & vbi olim Troia, nunc ſeges, dumeta. Iacet alta Carthago, cecidere Thebæ. Vbi nota fama Thenedos? Vbi

iam

iam florentes Athenæ,ſcientiarum altrices,Academiæ,Porticus? Ibi nunc agri,& arua,& pecudum pabula.Et vt aliquid de ſapientibus viris dicam; An non vbi quondam Philoſophi,ibi bubulci,Paſtores? Vbi cathedræ, ibi raſtrorum, & vomerum copia? Vbi calami eſcultiſsimi ibi impolitiſsima ſarcula? Quis habet Ariſtotelem,diuinumq; Platonem? Paruus cinis.In quid abijt celeberrimus Solon? In paruum cinerem. Quem obtinuere gloriæ terminum Iſocrates,Anaxagoras,Pythagoras,& Salomon omnium ſapientiſsimus? Paruum cinerem.Qua maieſtatis infula ornantur eloquentiſsimi Demoſthenes,Tullij,Hortenſij? Paruo cinere.Quænam tãtorum Heroum, vel litteris,vel armis fulgentium veſtigia? Nihil, vel paruus cinis. Vnus vnus omnia cinis æquat. Homo vas fragile, luteum,quid ſuperbit terra,& cinis? Quis exiguo orationis gyro vana Mundi prætexet? Proſequamini vos mecum,Auditores, vbi Chaldeorum, Perſarum,Macedonũ ſceptra? Vbi Romanorum imperium nullis penè coercitũ finibus? Truci hic omnia obuoluuntur volubilitate,& vorax viciſsitudo vorat deniq; omnia.Vbi Vrbium Regina Roma? In ſuis cineribus,& cadauere quæritur, nec inuenitur. Sed inſpicite ipſa elementa ſeſe mutantia, pugnantia, pereuntia. Aſſurgunt marinos inter fluctus,quaſi alieno in Regno Syrtes, Scopuli, & Vrbes, & ipſe Oceanus fauce, latratuquè horrido Regna vaſtiſsima abſorbet; & vbi luſere ludibunda nauigia,ibi miſerè iacent ſepulta vorticibus. Nunc æſtuat ma-

re,fremit, & tumet, & altiſsimis vndarum montibus coniurat in ſidera,& ſua aſpergine cælum laceſsit,& fœdat,modò detumet, & deijcitur,& inter minutulæ arenæ fines ſe continet. Labat,hiaſcit,ſequè ipſa abſorbet concuſſa tremore tellus. Extinguitur ab aqua ignis, abſumit ignis aquam; militant,& concertāt aereo in campo, fremuntq; bellicoſiores venti. Deficiet iſta reciprocantium ſphærarum vertigo. Iubar hoc Solis, coma illa texta radijs, globus hic menſtruæ Lunæ; multiplex hic abibit planetarum aſpectus,ac ſiderum: Præſtigiator eſt Mundus, & faſcino lethali tenetur acies noſtri oculi in illius purgamentis, rerumq; quiſquilijs. O quam citò fulgēt,& auolant, florent,& arent! Fucata illa venuſtas,quam innumeri inſanientes ardent, ſequuntur, labyrinthus omnium eſt ſcelerum. Deceptrix forma oculos lippientes depaſcit. Illæ choreæ vertiginoſæ nos dementant,dementauere iam Herodem, qui pro ſaltu petulcæ puellæ Regni fuit pollicitus medietatem. Det pro ſaltu Regnum,Regnum ipſo ſaltu mobilius. Abdicemus oculos tandem aliquando ab his terrenis ſpectris,ab hoc phantaſmate ludicro,ab hoc miſeriarum theatro. Simus memores excidendam tandem dura mortis ſecuri, diraquè falce vitam. Omnia vanitas,ſcenica ſceptra,ſcenicæ coronæ, mimici ſplendores. Riſus ipſe luctus. Quis ad Iridem pacis nūciam,& gemmeum aerij campi pontem,pluuiæquè indicem non ſtupet? Ridet ipſa inter florum nubes, & gemmas, ſed quas refert gemmas, profertq; flores,nec gē- *Marc. 6.*

mæ ſunt, nec flores, ſed nec quidem colores. Explicat ſuperbus Pauo pennarum gemmulas, rotat faſtoſus ſcatentem mille oculis caudam, vel ſtellatam, vel cõcatam, ſequè ipſum iactat volucrum Argum, & ſui Cæli vel floriferi, vel ſtelliferi Atlantem; ſed in fuco verſatur inſipiens, nec colores, nec gemmas, nec ſtellas habet; pedes tantùm benè videt, non fucatos, ſed cinereos, tunc detumet, in orbem complicat alas, contrahit in aceruum pennas, & mœſtiſsimè luget. Obſtruamus, miſeri aures ad Syrenum cantus in hac malefida pellicientis, ridentiſq; freti malacia. In Cælum, & in illa æternitatis lumina oculos quiſquè vertat ſuos. Mentem aduertite fortiſsimam ad ea ſolùm, quę fidem habent, & voluptates fidas; ad ea, inquam, quæ non vt hæc terrena mobilia, fugacia, nihil; ſed quæ nec tempore perdita, nec euẽtibus corruentia, nec ſeditionibus perturbata, nec ærumnis cõcuſſa, nec viciſsitudine irrequieta, nec calamitatibus obruta; ad hæc mentem, Auditores, mecum dirigite; ad ea, quæ ſemper voluptaria, ſemper amœna, conſtantia ſemper, beantia ſemper; ad ea immortalitate florentia, vigore firma, decore inclyta. In Cælum tantum riſus, ibi vernant roſæ ſinè vllo ſpinarum aculeo. Illuc appulẽdum, vbi dies nouiſsimus nobis promittitur, dies, qui non habet occaſum, omnes, præter ſeptimum, habent. Quæ vera ſunt, æterna ſunt. Me miſerum fœdiſsimi ſæculi vſquè modò ſectatorem, vſquè modo deceptum. O me cœcũ cum videbam! O me oculatiſsimum excœcatũ!

Eligam partem meliorem à terrenis rebus auulſus. Vitam, Auditores, mihi eremiticam eligam pœnitentiæ in locis anteactæ vitæ crimina perpetuùm lacrymaturus. Vlciſcentur ſacræ vigiliæ voluptuoſos ſônos; carnis meæ illecebras aſperrima cilicia; magnificas ædes rigidæ cautes; conuiuiorum luxus ſeueriſsima parſimonia; ſpumantes crateres arida ſitis; leues ſaltationes, immotæ preces; muſicos cantus, pſalmorum concentus; lepidos riſus, perennes lacrymæ; Mundi tandem ſtudia, diuinæ exercitationes. Sordeſcant mihi poſthàc porticus, academiæ, lycæa caligine obuoluta omnia. Non iactabor impoſterùm opinionum fluctibus ex aduersò pugnantibus. Non hæſitabo in duris humanæ ſcientiæ ſalebris. Me miſerum texi, & retexi, conſtanter tuitus, quod facilè reieci. Hoc nimirum tantùm credite, Auditores, eſſe in noſtris ſcientijs certum, nihil eſſe certum. Non eſt verum, quod varium eſt. O diſsipatos humanæ ſapientiæ puteos, circà quos ſitientes mortales perfremunt, nec eis puræ aquæ datur haurire guttulam! Sciamus, oro, atquè obteſtor, Chariſsimi, vnum Sciamus Ieſum veram ſapientiam, ſalubre mentis noſtræ conſilium, ſalutare amantis cordis oblectamẽtum. Velificemur animo. Sciamus Ieſum ſapientiæ fontem, doctrinæ theſaurum, integritatis typum, deliciarum ſcaturiginem, voluptatis pacatiſsimum pelagũ. O Amor mi dulciſsime, te veridicum non tenet alienigena philoſophia. Te beantem non forenſes audiunt turbationes; Te amantem non impu-

dicæ noſcunt voluptates; Te pudicum,non mortalium ſapiunt inquinamenta, Te ſapientem non improba reperiunt conſilia.Ieſum,depulſis mentis tenebris, feliciſſima mea me edocuit Cœcitas; Ieſum ſcilicet amatorem,dulcedinem,ſanctimoniam,delicias,beatitatem meam. Pro vilibus, euaneſcentibus his terreis, expetit nos ipſos à nobis,noſtros animos Satanas. Pro caducis tentorijs manſiones æternas nobis adimit. Pro nihilo à nobis vult adorari.Quid? Et quid hoc? Excutiamus ſomnum ab oculis noſtræ mentis, adoret nos Satan Dei gerentes imaginem, Chriſtum indutos. Magna res eſt anima,ſanguine,& vita immaculati Agni redempta. Mentes attollamus, quia tanti valemus, quanti Chriſti ſanguis, & ſi tanti non valeret anima; nõ tam copioſè ſanguinem effudiſſet. Effudiſti mi Ieſu ſanguinis flumẽ, cuius ſtillula infiniti valoris; nouiſti animam, vt quid infinito infinitius.Tranſiſti totus mi Conditor in pretium meum. Pluris me fecit Genitor tuus, penè ac te, cùm te filium pro me dedit in pretium. Ego vnicus theſaurus tuus,& tu circa me cor tuum apponis. Abſcondam me ipſum ego theſaurus tuus.Lugebo obliuioni à me traditam iam,& neglectam animam meam, opus tuũ. Tu Virgo Parens, cuius prece, lumen recepi, tu, qua lucem nunc haurio cæli, tu, cui vota nuncupaui, da, vt ab his oculis nunquam deſint lacrymæ. Vos Ciues,vos Auditores omnes,ignoſcite iiſdem meis oculis, quibus toties, improbo exẽplo,oculos veſtros fœdaui. Sint pœnitentis cor-

dis,

dis, & ingenui doloris mei geminata ſuſpiria, & lacrymæ fidi teſtes, & linguæ. Pateat poſthàc mihi cælum illuminato è cælo; hinc è cælo mihi lux data, vt cælo ſemper ſim fixus. O ſi mihi liceret, ò ſi mihi daretur, vellem in Aegypti arenis, vel in Africæ deſertiſſimis antris degere, vt Deus ſolus mei eſſet inſpector, vt ſolus ſoli Deo vitam ducerem. Detur mihi ſaltem, ò Accona, tuas opacas valles incolere, cæleſtes in tuis rupibus delicias ſapere; in te meos omnes poſſidere ſolitarios amores. Vos rupes, & antra eritis mea dulciſſima Tempe, tu Paradiſule, horte tu mi delicioſe; in te quidquid vitæ ſupereſt vitam impendam. Tu Senenſis Reſpublica, vos amici, conſanguinei, vos meæ Patriæ mœnia valete, meiquè amoris erga vos hoc ſit monimentum, hoc pignus: Omnia humana nihil; curſus vitæ breuiſſimus; æternitas momento amittitur. Qui veram vitam inhiat, diſcedat ſaltem animo à ſæculo.

His dictis è ſuggeſtu proſilijt ad vniuſcuiuſquè pedes genibus prouolutus, veniam humillimè lacrymabundus petit. Orabat, vt omnes pro ſe orarent. Non poterat ad tanti viri demiſſionem, ad diſceſſum non ſtupere theatrum, nec ad Bernardi largas lacrymas continere ceteri lacrymas; ruebat ille conuectus ad genuflexi Bernardi collum, qui humillimè in crucem efformauerat brachia, amplectabatur. Ipſe tandem miris ſanctimoniæ futuræ ſignis, ad ædes ſuas confertiſſima turba è ciuibus, ceteriſquè conflata, reuertitur.

Bernardus Pauper ad Eremum contendit.

CAPVT XVI.

Matth.46. EMpturus euãgelicam beatitatis margaritam Bernardus dedit omnia ſua. Currendum erat ei ad brauium gloriæ, ideo deſerit ſarcinæ pondus. Sic iturus Ieſus ad Patrem veſtimenta ſua depoſuit. Nec palliolata Sponſa ruit in diuini Sponſi amplexus, ni angelicis exuta manibus veſtes, & vt amoris inſciola maſtige cæſa. Elias ad Cæli Regna feſtinans dimittit Mundi pallium. Non è manibus impudicæ mulieris elabi, poterat pudicus Ioſephus, niſi palliũ flocciſeciſſet. Moyſes ab Aegypto egreſſurus, poſt terga habitis opibus, tulit ſecum ſola Ioſephi oſſa. Sic Bernardus è ſæculo nil aſportat, præter mortis memoriam, veram philoſophiam. Quidquid habebat, vel mobile, vt vulgò dicunt, vel ſtabile erogauit egenis. Cœnobio D. Dominici ædes, quas ipſe incolebat, dono dedit, religionis, & munificentiæ argumẽtum, gratiquè animi indicium præclariſſimum, vt qui cellulam puerulus pauperculã incoluerat in ſacris ſeptis, pro ea ædes redderet magnificas. Religioſi verò illi viri eaſdem poſtmodùm propoſuere venum, dedereq; nobili, & nobili puellæ ex Ptolemæorum familia, vt ex eorũ tabulis liquet. Omnium ſæculi ſolutus nexibus Bernardus, Deo tantùm fretus ad Acconenſes ſpecus, loca pœni-

Ioann.13. *Cant.5.* *4.Reg.14.* *Geneſ.39.* *Exod.13.*

B. Bernardus omnia pauperibus erogat, & ædes, quas incolit Ordinis D. Dominici Fratribus elargitur

tentiæ aptiſſima gradu contēdit hilari, & feſtino, iter eſt pedeſtre, amictus vulgaris, pecuniā execratus, & quoduis humano vſui, vel abuſui deſeruiens. Concioni de contemptu Mundi, inter ceteros, adfuere viri Senenſes nobiliſſimi, Ambroſius Piccolomineus, & Patritius de Patritijs, qui ſermone illo mirificè permoti integritatis viam alacrem arripuere. Igniti enim eloquij diuina flamma, etſi per ſingula audiētium corda ſerpſit, ità, vt omnes ſæculi huius vices deteſtarentur, tamen tunc è veſtigio cæleſtium amore, & eremiticæ vitæ rapti fuere Ambroſius Piccolomineus, & Patritius de Patritijs, qui ſtrati ad Bernardi pedes rogitauere, vt ſeipſos non dedignaretur in eo itinere comites, & in Eremo ſocios. Proficiſcuntur vnanimes, & hoc trino, ſanctoq; numero eremiticæ vitæ viri nobiles fundamenta in Accona poſuere, quam ſibi retinuit pœnitenti, & ipſum ſequi volentibus Bernardus. Abeunt ergo peſſundatis rebus omnibus. Multi vdi lacrymis, & religioſo fletu exclamant: dextera Numinis, quàm potentiſſima! Egredimini de terra veſtra, de veſtris laribus, de cognatione veſtra, properate in terram, quam mōſtrabit vobis Deus, beatius erit ibi humile tugurium, quàm in ſæculo peregrina palatia, ibi ſpatiabitur liberè mēs veſtra per opera Creatoris, tranſcurret, circumuolabit vltrà Oceanum euolabit ad cælum, penetrabit abyſſos, perluſtrabit Orientem, Occidentem. Ite felices ſine pera, ſine ſacculo, vbi vel cibaria, vel pecunia condantur; ſine zona enim, & ſine ære di-

Habet comites in deſertū contendens B. Bernardus Ambroſium Piccolomineum, & Patritiū de Patritijs Senenſes nobiliſſimos.

Gen. 12.

Zeno Veronenſis in Pſal. 129.

Luc. 9.

uites eritis, affluent vobis omnia, quia aderit vobis Deus. *Luc. 14.* Renunciaſtis omnibus, quæ poſſidebatis, vt nihil habentes poſſideatis & omnia. *2. Cor. 6.* Iactaſtis veſtras curas in eum, qui vos enutriet. *Pſal. 54.* Reſpicite volatilia cæli, non ſerunt, non metunt, non congregant in horrea, & Pater cæleſtis paſcit ea. *Matth. 6.* Stillabunt vobis ſcabræ illæ rupes dulcedinem, fluent vobis colles lacte, & melle. *Iſai. 3.* *Baſilius de laudibus Eremi.* Properate in Eremum ad cæleſtis doctrinæ ſcholam, ad diuinarum artium diſciplinam, ibi erit mors vitiorum, fomes, & vita virtutum, Paradiſus deliciarum. Ite viui Martyres ſacrificate ſine corpore corpus, & ſine ſanguine ſanguinem, ſuſtinete iram, retundite linguam, frænate oculos; tactum, & guſtum coercete, irridete riſum. *Cryſologus ſerm. 118.* *Nanzian. de laudib. Baſil.* Pergite ad locum horroris, & vaſtæ ſolitudinis, dirigite greſſus in locum terribilem, ſed ibi non erit aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. *Geneſ. 28.* Ite ſpectacula Deo, Angelis, & Hominibus. Ite gementes turtures in loca ſolitaria, ſedete nihil vobis, & turbis, nihil cum multitudine ceterorum, obliuiſcamini populi veſtri, & domorum Patrum veſtrorum; concupiſcet enim Rex decorem veſtrum. *Pſal. 44.* *Bernardus ſerm. 40. in Cantic.* Leuate manus veſtras ad Dominum Deum excelſum. Flabit vobis ſuauior Sãcti Spiritus aura. *Pſal. 44.* Non eſurietis, neq; ſitietis, non percutiet vos æſtus, vel Sol, quia miſerator Deus vos reget, & ad fontes aquarum potabit. *Iſa. 49.* Ite tandem glorioſa cadauera Mundo defuncta, Deo viuẽtia. Ite cæleſtes Heroes, expectat vos Paradiſus, nõ ſpecus; Angeli nõ feræ, Empyriũ, nõ antrũ.

Primi Libri Finis.

BEATI

BEATI BERNARDI PTOLEMAEI SENENSIS VITAE

Liber Secundus.

B. BERNARDVS IN EREMO.

Beatus Bernardus in Acconam, vnà cum Ambroſio Piccolomineo, & Patritia de Patritijs Senenſibus, Deo deſeruiturus contendit.

CAPVT. I.

POſthabitis rebus omnibus, quas poſſidebat Bernardus, agrum tantùm ab Vrbe Sena quindecim millia paſſuum longè, cui nomen Accona erat, ſibi retinuit. Ager ſilueſtris, incultus, felicoſus, ſterilis, dumetis obſitus. Inter foueas, & barathra deſertiſſima ſolitudo, à plebe procul, & ab omni hominum cultu tacitur- *Acconenſis deſerti deſcriptio.*

na ſeruat ſilētia, vndequaquè intercluſa rupibus, ferum quidem receptaculum, nec ipſis commodum feris. Accona argilloſis coercita in gyrum vallibus profundioribus, quibus imperuij ſunt ſolares radij, horridis pallet nemoribus, cęcis fuſcatur vmbris, interq; ferales cupreſſos conſepulta luget. Teſqua ibi inhoſpita, hiſpidæ ſiluæ, obſcura caligo, noctem habet locus, tenebras in ipſo meridie viator, metumq; mutum. Non admurmurat ibi ruens è muſcoſo ſaxo riuulus, non è marmore, tophoquè ſcabro ſcaturit fonticulus, non canorus interfluit amnis; non ſurgit, vel ruit vnda garrula argentea arcendæ ſiti, ripa ibi florens nulla ridet. Viæ cretaceæ, & lubricæ; pes titubans gradu firmo conſiſtere nequit. Ne ille labatur, vtitur ferreis vncis gens illa ruſtica, ferratas habet calceorum plantas, vt vndè ſurgit vita ferreos reliquos mores conſideremus. Hyemis tempore à vorticoſis torrentibus datur ſæpè præcipites rupes; Imbres, ventiquè perfremunt, reboant valles, & excuſſa truculento eorumdem ventorum impulſu, corruunt antrorum fragmina, & veluti tonitruum horribili mugitu, ad horrorē intonat, reſpōſatq; Echo. Incutit Accona neſcio quid in ipſo ſqualore religionis, atq; pietatis; ipſa tamen tetra, afflante diuino Spiritu, inſpirat pias preces, ſanctas lacrymas, dulciſſima ſuſpiria, ardentiſſimos amores. In hac tacita Eremo, in hoc terræ ſiluoſo angulo latent ſpectacula pœnitentiæ ſubducta ab hominum oculis. Hic tacentes ſiluæ, exeſa antra, rupium iuga, latebroſæ ſpecus,

inac-

inacceſſa latibula, ferina cubilia mentes ad cæleſtia dirigunt; ſunt etenim rupes illæ ſcrupoſæ ſcalæ faſtigiatæ ad Empyrium, ad Numinis ſoliũ. Vno ex vallis latere oculi nonniſi nimis erecti, & defatigati valent cælum contueri, vt benè mẽs notet, vi opus eſſe viuida animo Superos conſpecturo. Habet ex altero (vbi curuiùs ſinuatur in Vallem) Accona Cluſurium Oppidulum conterminum pendens præcipiti vertice. Vnus eſt, & quidem anguſtiſſimus ad eamdem vallem aditus, nec niſi per penſilem pontem ligneum datur deſcenſus. Sunt ceteræ inacceſſæ rupes, & inuiæ. In hoc deſerto, quòd circumquaquè marginat horror, vitam incipit pœnitentiæ ſacram Bernardus, proprijs manibus, & ſudoribus vnà cum ſocijs in cœno, neſcio, an loculos, an cellulas excitat. Extruunt Eremicolæ ruſticum ſacellum, arãq; Virgini Sanctæ Scholaſticæ Diui Benedicti ſorori dicant; colitur nunc cultu ſatis pio, memoria profectò ad poſteros; huc ad religioſum pſalmorum concentum conueniunt, ſacro interſunt, & profuſiſſimis lacrymis quotidiè ſacra, cæleſtiquè dape veſcuntur. Non longè ab hinc ſcabro è topho ſtillat parciſſima vndula, nec arcendæ ſiti ſufficiens. Mugit hìc quandoquè opacis cauernis, profundiſq; latebris, ex intercluſo ſpiritu, vallis, eſtq; ille mugitus minax in Tartara, & in ſcelera tubæ clangor. In hac valle, in hoc vallo adeſt noſter heros Bernardus ſui victor, ſenſuum triumphator, Erebi debellator. Sumptuoſa conuiuia, ſpumantia pocula fame punit, ac ſiti; ſuperbos

tumores horrens fugat ſpecus,& anteactos errorum calles aſperæ caſtigant ſanctimoniç,& ſeueritatis viæ. In hac demùm terra verè deſerta, inuia,& inaquoſa experitur Beatus Pater, quò magis humana, & mortalia abſunt, eò magis diuina, & æterna adſunt, & vbi horror infremit horribilior, ibi ſuauitas diuini amoris dulcior inſtillatur.

B.Bernardi in Eremo indumentum, corporis maceratio, vitæ genus.

CAPVT II.

Quo anno in deſertum ſeceſſit Ber.

Ex Gregorio Lombardello lib. 2. in vita B.Bernardi.

Amictus Ber. & ſociorũ in deſerto.

COnceſſit in Eremum Bernardus anno à debellatis tartareis vmbris milleſimo trecenteſimo tertiodecimo, Clemente V. Pontifice Summo regnante, exutuſquè interiùs,& exteriùs veterem hominem cum ſuis actibus, nudus, & liber ſolutus ſæculo, mũdano calcato faſtu, Ieſum Chriſtum induitur pauper. Eius indumentum horrens cilicium ad pedes vſquè demiſſum, vt dirum, ſic pium, hac veſte æſtiuo tempore nimis æſtuat, hyemali nimiùm alget. Præcingit nodoſo, aſperoquè fune lumbos, nudis pedibus per aſpera ſẽticeta perambulat. Hic etiam ſociorum amictus, exiguus, pauper, deſpicatus,& pungens, hic omnium, qui ad Acconam ſub Bernardi diſciplina victuri properabant. De veſtium colore nulla prorſus Eremiculis cura, dummodò ad fuſcum, pullumquè tenderet. Nemo aſperiori indumento

ami-

amictus, quàm Bernardus, quippè qui omnium ſe facinoroſiſſimum dicebat, miſerrimum, & pęnitentiæ egentiſſimum. Hanc vnicam hauriebat lætitiam flendo, quod ab eius oculis nunquam ceſſarent flumina lacrymarum. Cibi illius non ad delicias, ſed ad vnum corporis fulcimentum, ad refocillanda, ſtimulante fame, languida membra. Erat eſca incondita leguminum pauperies, oleta agreſtia auulſa è terræ glebis, herbarumquè radices. Veſcebatur quandoquè, vel concuſſæ arboris fructibus, vel ex illa diſcerptis, data opera, immaturis. Victus hic inops, opimæ erant epulæ, erantquè illius bellaria ipſa eſuries; nec arcebatur fames tàm miſero cibo, niſi ad breue tempus; preces tamen, quæ præmittebantur, erant longiſſimæ. Potus, aqua è cælo miſſa, è pluuijs collecta multis efflagitata ſuſpirijs, ſiccis faucibus, ſupinis manibus. In fame, qua torquebatur, Seruatoris Ieſu famem protractam quadraginta diebus in deſerto, totidemquè noctibus, conſiderabat; & in ſiti, qua vrebatur, vel in turbida, & limoſa aqua amaritiem fellis, & aceti, quam in Cruce libauit Ieſus, contemplabatur. Fame, & ſiti carnem excruciat, edomat, vt de illa ſpiritus benè, & tutiùs triumphet. Condiebantur tamen eſcæ illæ ruſticæ immortalis Paradiſi vitæ Indico ſaccharo. Amariora aromata ſeruis Dei dulceſcunt, Omnis cibus illis nectar, aqua cœnoſa fit cryſtallina. Famem, ſitim, æſtum, frigora tolerare experiebatur Bernardus quid dulciſſimum; appellabatquè omnium rerum in Eremo pauperiem, & egeſtatem,

Cibus, & potus B. Ber. in Eremo.

affluentiſſimum Dei munus. Inexhauſtæ etenim diuitiæ iugis erant æternæ beatitudinis meditatio. Ipſa corporis afflicti laſſitudo erat robur ſpiritus, nec tàm rabida ſitis vrebat guttur, quàm inebriebatur anima æterno felicitatis torrente. In atrociori ſpirantis Boreæ frigore ſuiſmet calefiebat ſuſpirijs, nec ei vnquam placidi Zephyri murmur ſpirauit ſuauior. Sanguineis flagris lacerabat ſeipſum, ſuiquè ſanguinis operimentum erat ei regalis purpura, pretioſa toga; humi ſtrata ſtorea, vel nudæ terræ proiectus cubabat. Traducit quãdoquè dies, noctesquè inſomnes. Oriebatur Sol, nec vllus illi occidebat pœnitẽtiæ feruor. Primas Aurora præmittebat faces, & ipſe ſuos ardores ſacros augebat. Nè ſopor orationi, manuumquè operibus tempus eriperet, ceruical lapis durus ei erat, vt per horulam ſomno datam, eſſet etiam irrequietus in requie. Miſerrimus cibus, parciſſimus potus, pungens operimentum noſtri Ducis Deo tantùm diuitis in deſerto, deliciæ. Illi ſilueſtres volucres, vel cæleſtes Angeli nemorum ſacras concinebant laudes, quibus ad æterna rapiebatur. Excreſcit Bernardo confecto macie, palloreque, impexa coma nulla coercita ferro, promiſſaquè barba pectore tenùs; aſpexiſſes in Eremo monſtrum ſeuerioris ſanctitatis, vidiſſes Ioannem Baptiſtam non edentem, non bibẽtem. Tantus eſt in homine Deus cum inſpirat.

Seruis Dei omnia dulceſcunt.

Pia

Piæ B.Bernardi in Eremo exercitationes.

CAPVT. III.

IVgis, & quidem iucundiſſima in opaciſſima cæſpitibus,ſiluiſquè horrẽti valle, quies Bernardi, ſuauiſſimæq; deliciæ erant Deo omni bono frui, mentemquè in cælum ſemper attollere. Exſpatiabatur eius animus libero volatu ſolutus Mundi curis, veluti ſublimis aquila per interminа illa Empyrij beatitatis ſpatia. Eleuabat ſe ſuprà ſe, fiebatq; ſe ipſo maior, & ipſius Dei, inceſſanti cogitatu, & amore feruentiſsimo, capax. Meditabatur ſæpè beneficia illa Dei hominibus communia, ceteriſquè creaturis, productionis nimirum, & conſeruationis. Quamlibet ob rem, quæ vel menti, vel oculis, vel auribus, ſenſibuſq; ceteris obijciebatur, Numen Creatorem, & Seruatorem laudibus, vt creaturæ conceſſum eſt, euehebat. Stupore corripiebatur ad primæuæ creationis memoriam. Quomodò ex nihilo tot, ac tàm mira tùm in cælis, tùm in terris Dei potẽs manus excitaſſet; quomodò conſtanti viciſsitudine eadem ſuo nutu conſeruet, non per hæc curioſa philoſophiæ indagine vagatur, nõ tumorem veritatis aſſecutio redolet, ſed chriſtiana pietate, cæleſtiquè amœnitate refertur animus rimans hæc omnia. Videbãtur iam contemplanti Deum Bernardo vallis, & nemora, rupes, & antra, her- *Mira B.Bernardi contẽplatio ex omnibus, quæ ſẽſibus hauriebat.*

bulæ,

bulæ,& flores,ſiluæ,& ſaltus,Cæli theatrum,quo ſummoperè delectabatur angelico ſenſu illa percurrens.Micat ſoporifera nocte Cælum errabundis ſuis ſideribus, & Bernardus ſeipſum ditat, quaſi ſibi fulgentibus, ſuperis illis piropis. Ex qualibet re meſſem eruebat meditationis ampliſſimam. Ex apicula,arenula,herbula,floſculis,ex minutis reliquis efferebatur ad omnipotentis gloriam euehendam.Si in vitis frondem anguloſæ vento excuſſam, ſi in viridans arboris folium tot veluti neruis diſtinctum figebat obtutum, æternæ ſapientiæ artem expingētis admirabatur. Diſcebat ex auibus è ramis pendētibus, cantuq; mulgentibus nemora laudare ſæpiſsimè Deum, pictarum volucrum voces tubæ ad ſpiritalem militiam,ad pſallendum Deo fiebant. Quidquid intuebatur vox erat ſuis auribus reboans, vt pro reſtituta luce gratias referret immenſas, & cum ipſi nunquam deerat quod videret, nec eidem deerat pabulum feruentiſsimæ meditationis, & laudum.Nunquam ergò ociabatur in deſerto.Sibi vni omnia ab effectrice Dei manu, & creata,& conſeruata dicebat; fatebatur ſe tamen ſeruum indigniſsimum,qui Cęlum conſpiceret,qui contemplaretur quæ in Cælis ſunt,vel cæleſtes ſpiritus, vel reciprocos cæleſtium ſphærarum motus, vel beatas animas, quæ in Empyrio degunt, vel æternæ felicitatis Authorem Deum.Querebatur quod de omnibus, quæ,vel mentis,vel corporis oculis proponebantur, neſciret vniuerſa refundere ad gloriam cōditoris.Cùm verò ad redem-

Myſterium redemptionis cōtemplatur Bernardus.

ptio-

ptionis opus,vel ſuæ vocationis,& ad cetera peculiaria beneficia,quæ ei Deus contulerat,mentem appellebat, irrigabat vberi lacrymarum imbre genas; ſitiebat ſuum è venis cruorem effundere pro ſibi à Ieſu effuſo ſanguine, ſpargebat tamẽ eumdem Bernardus rigidi flagri verberibus. Surgens ex oratione,ſacriſquè iteratis precibus, diuinæ ſcripturæ libros,ſanctorumquè Patrum monimenta euoluebat,Eremitarum auſteritatem attentiſſimè adnotabat, inhiabatq; illorum vitæ auſterioris hærere veſtigijs, nunquã ſatis putans quæ ipſe operabatur. Tempus male tritum in Mundi ludicris deplorabat aſſiduè. Ex vtriuſquè noui, & veteris teſtamenti voluminibus, & Sanctorum Patrum codicibus, quos Diuus conſcripſit Hieronymus, multa excerpebat ad Dei laudem,& ad incrementum pietatis, ſic è collationibus Caſſiani,& opuſculis Ephremi Syri,necnõ Bernardi Claræuallenſis elucubrationibus, & ceterorum,vel Eremiticæ, vel Cœnobiticæ vitæ inſignium, geſta virorum ſanctimonia excellentium rimabatur, vt eorũdem imitaretur virtutes; hyblæa erat apis, ſugebatquè mel cæleſte, & in aluearium mentis condebat, ſeruabat operaturus iuxtà Sanctorum exempla glorioſa. Preſſo verò ſpiritu mortalis corporis ſarcina, ne in ocia rueret animus, & noxios, lethaleſquè ebiberet ocioſo è poculo ſenſus; exercitationibus, operibuſquè manuum dabat operam. Aliquando ligone terram effodit, fruticantes verſatquè glebas, nunc virgis,mollibuſq; iuncis ſportulas,ſeù vimi-

Lectionibus SS. Patrum incumbit.

Operibus manuũ dat operam.

nibus intortis fiſcellas texit; nunc ſcirpicula ramos amputat, ſentes, & cæſpites deruncinat, ſecuri cædit arbores, ramoſq; laſciuientes abſcindit, colit agellum, hortulum; excauat ad aquas è nubibus datas, puteum; cellulas, ſeù potius tumulos vnà cum ſocijs in argilla plures extruit, ſepiolas componit gratiſſimos oculi labyrinthos. Vias, calleſq; parant in valle præcipiti, & lubrica, & tetrica caſtigata rupium ſeueritate, molliores redduntur ſemitæ; trahunt onerarium lignis, vel terra onuſtum ſancti Eremicolæ, nunc ad arcendum frigoris rigorem ligna componunt ex ſuneſtis plantis, ramiſquè reciſa; nunc olerum, florũq; iaciunt, creduntquè telluri ſemina, ornantquè vallem cypreſſorum funebri ſiluula ad iugis mortis memoriam; nunc eaſdem cypariſſos ad vias firmandas contrà aquarum profluentium impetum hinc indè ordinatim diſponunt, nunc nouas aduenientibus hoſpitibus ſpecus effodiunt, ſicq; informi deſerto contendunt viciſsim dare formam cultiſsimam, & interiorem ſimul hominem nutriunt. His agreſtibus laboribus diſtenti, vel pſalmodiæ vacant, vel tantum ineſt ſilentium, vt nullo habitatas à mortali valles illas fatereris; totos ergò dies in meditatione, in recitandis pſalmis, in ſacris lectionibus, & manuum operibus tranſigebant Bernardus, & ſocij in deſerto. Contemptores Mundi nudis pedibus peſſundabant honores, opes, purpuras, coronas. Aſtra, in Empyriũ iãiã aſcẽſuri, videbãtur p̃mere; inter glorioſiores Diuos poſt momẽtaneã pugnã, numerãdi.

Confluunt pleriquè in Acconæ valles B. Bernardum viſuri, quos ille ad Eremiticam vitam hortatur. Rogatus renuit ſociorum regimen, nec peculiares leges ſtatuit, conciones plures, & pias ad Eremicolas habet.

CAPVT IV.

QVamuis in Eremitico receſſu, & cauernoſis penè ſepultus in ſpelæis eſſet Bernardus, non potuit tamen diù latere; Sic Sponſa cæleſtis in canticis, etſi humilitatis pallio virtutes, & penè diuinam formoſitatem celare contenderet, detrahitur tamen ei ab Angelis peplum, vulneratur amicè à cuſtodibus, & Ciuitatis circitoribus, atq; vigilibus, vt innoteſcat eius pulchritudo, decorquè eximius circumquaquè magis effulgeat. Sic Elia Eliſæo præcepit, nè triũphum, quo Deus illum cohoneſtare ſtatuerat, cuiquè aperiret, hinc pergit vſquè Bethel; è Iericho ad Galgala gradum feſtinat; voluit tamen Deus, vt agmina prophetantium filiorum Eliam triumphantem in igneo, luciferoquè curru, cæleſtibus radijs fulgentiſsimum, admirabunda ſpectarent. Vmbra humilitatis eſt lucis parens candidiſsimæ. Radiant vndiquè cæleſtes fulgores. Currus per æthereos campos paratur humillimo ſolitario. Volat currus, volant ignei equi, exſuf-

Cant. 3.

Sanctorum gloriā Deus patefacit.

4. Reg. 2.

ſlant ſcintillas,& flammas,& circumuolat fama, repletquè Orbē. Veli volumine,inuolucroq; prę- cingit frōtem, & faſciat tempora Moyſes, vt vultus claritatem populo tegat,fulgent nihilominùs inſueto iubare in radios fuſi crines. Scintillabat, præradiabat frons, excurrebat inundans lux, & penè diuinus decor, etſi premantur nitores, ita tamen erumpunt, vt in eum nequirent oculos intendere Iſraelitæ. Clauditur in deſerto magnus ille Baptiſta, & inundant ad eum turbæ adorabūdæ daturæ Meſsiæ ſceptrum notiori in ſpecu,quā in Vrbe. Sic Bernardus noſter clarior in Eremo, quàm in turbis, percrebuerat vbiq; nomen illius ſanctimoniæ,& admirandæ pœnitentiæ; quare multi alloquuturi, ipſumquè videndi ſtudio, ex longioribus tractibus ad receſſus Acconæ properabant; aliqui illius cœcas Deſerti habitaturi cauernas,multi ſpirituali vita B.Patris documentis inſtruendi. Alij preſsi mētis angoribus leuandi pijs ſolaminibus,& conſilijs. Hortabatur omnes ad optimam viuendi normam,ſolabatur,edocebat ſanctiores vitæ ritus, Ieſum ſequerentur, à quo ſolùm animi quies. Dato Campanulæ tinnitu Acconæ incolæ conueniebant Bernardum audituri ad aliquam frondentem illius vallis rupem Pſallebant poſtmodùm alternis choris,nūc hoc, nunc illud ſacellum, quod per valles extruxerant,inuiſunt diſpalati,vel bini. Aues ipſæ ad diuinas laudes eos excitant, vel excitantur illæ pſallentium Eremicolarum vocibus. Nihil illis anfractibus, atquè cauernis horridis, tranquillis

Exod.34.

Luc.7.

B. Bernardus pia monita aduenientibus ad Eremū dabat.

Eremi felicitas pie viuentibus.

eorum cordibus amore diuino feruentibus, vel concinniuś, vel ſuauius. Nemoroſis illis rupibus ſæculi nobiliores, & potentiores oblectati, verbiſquè allecti noſtri Ducis de Mundi concionātis quiſquilijs, ludibrijs, de breuiſsimo euolantis vitæ curſu, de æternis coronis legitimè certantibus paratis, de immenſa beatitate, mundanis illecebris ſe abdicantes, ſæculiq; voluptatibus ſtatuebant eſſe in illis vallibus magis, quàm retrogredi ad Patriam. Erāt Bernardi labia victæ coccineæ charitate fragrantia, quibus vinciebantur aduenientium illuc, & audientium corda. Hi ad B. Patris pedes humiliter prouoluti rogabant multis lacrymis, & precibus, vt in Acconenſi ſolitudine, latebras ſaltem, vel latibula eis largiretur Deo famulaturis; excipiebat ipſe vlnis charitatis, quos diuînitùs nouerat in ſpiritu eremitico, & ſanctioribus diſciplinis profecturos, hi elegantioribus mundanis veſtibus abiectis, neglectiſquè crinibus, vanoq; ornatu induebantur pullo, vel cinereo aſpero amictu. Felix mutatio, cinerea veſtis ignem claudebat immortalitatis, aſperiores horrentis cilicij ſtimuli calcaria ſunt ad æternitatem, ad deliciarum cæleſtium curſum. Sed aucto Eremitarum numero, informi, ſqualentiquè deſerto, multitudine operantium manuum penè ciuica, vel cęlica datur forma, fitq; horror ipſe Eremi venuſtus, & ipſa venuſtas horrida. Procul erat ocium vitiorum Satōr. Vidiſſes rupes excultas hilares, ſepes fruticoſas calamis textas; hinc indè areolas inſtructas violis, lilijs, roſiſquè, & diſco-

Cant. 4.

Multi in Eremo eſſe contendunt.

Eremi horror fit venuſtus incolentium manibus.

loribus ridentes floribus. Concinunt in opacis ſiluulis pēnigeri auium greges, eratq; ſuauiſſimus odor illius agri pleni, quippè cui benedixerat Deus. Sermonem habebat Beatus Pater ad Fratres, ad puſillum Eremitarum manipulum. Præſtat, aiebat ipſe, non eſſe in deſerto, quàm in deſerto ociari, diſcamus hìc fortiter Deo inhærere fame, ſiti, algore, æſtu; puras in cælum manus extollamus, cùm Satanę machinamentis, vel terreis rebus vexamur, ſuſpiciamus Cælũ, vbi, poſt perbreue certamen in valle hac, in eiuſdem Cęli apice æternæ nos expectant coronæ. Moriamur Mundo, vt vni Deo viuamus; adigamus carnem in ſeruitutem, vt vnus ſpiritus dominetur. Detidamus purpuras, præter quas noſtris manibus, ſanguineis flagris, comparabimus.

Gen.27.

Efflagitāt interim, Ducem ex virtute ſumpturi, orant, obſecrant, obteſtantur Bernardum, vt ipſe vnus Eremi ſceptrum habeat, iura ſanciat, ſtatuat iuſſa, vni omnis ſacræ ſolitudinis Principi obſecuturi. De aſciſcendo Rectore non eſt, quod pij viri diſceptent; renuit humillimus Bernardus omnium ſe mācipium laqueis charitatis vinctum dictitat, omniq; præſulatu indigniſſimum. Hortabatur tamen eos ad diuinæ legis cuſtodiam, ad euangelica adimplenda monita, ad Catholicæ parendum Eccleſiæ, ad Sanctorum Patrum ſalubres inſtitutiones; meminiſſent inſiſtere veſtigijs eremiticæ vitæ Patrũ, qui Aegypti, Syriæ, Thebaïdis arenoſas, deſertaſquè ſolitudines incoluerunt, qui in cauernoſis terræ ſaxis, & viſceribus

Eremicolæ efflagitant à Bernardo, vt ipſorum ſit Paſtor curamquè habeat.

Magna B. Ber. humilitas.

latue-

latuere in ſpecubus,quibus non erat dignus Mũdus.Sit,exclamabat,charitas omnium noſtrum gubernatrix, nitetur alter alteri in religioſiori vitæ auſteritate præſtare.Simus pauperes corpore, & ſpiritu, oremus pro Guelphis, & Gibellinis, quorum dexteræ cognato ſanguine ſcelerantur, & funeſta cæde horreſcunt ſordeſcunt Italiæ plagæ. Non erimus ocioſi in deſerto, nec Mundo inutiles, ſi ſæculi ludibria, & crimina defleuerimus. Non minùs operabatur Moyſes, manibus immotis ad cælum ſupinis in loco ſolitudinis, quàm milites ceteri conferẽtes inuicem gladios, ad victoriam Iſrael; proficiebat magis ille vnus orans in deſerto,quàm multi manibus dimicãtes in campo; gladius eſt oratio vtràquè parte acutus, & qui habet illum in ore, habet cæli ſtellas, diuina ſcilicet munera,in dextera. Vos,qui manum feliciter ad aratrum appoſuiſtis progrediamini vlterius,vt apti Regno Dei beatiſſimo ſitis. Mementote vxoris Lothi vertentis ſe ad Pentapolis conflagrantis incendium in ſtatuam ſalis cõuerſæ.Nolite egreſſi de Aegypto,Pharaoniſq; imperio, nec mente illuc reuerti effuſuri denuò miſeros ſudores inter ſpinas,& ignem addicti luti,& laterum operibus vilibus. Nè fœtidas Aegypti eſcas appetamus paſti hìc cæleſti cibo.Eligamus excruciari magis nunc cum populo Dei, quàm venenato gaudio ſæculi frui.Non tantum, ò ſocij,peregrini,& viatores hìc ſimus,ſed Mundo etiam mortui, vt vita noſtra abſcondita ſit in Chriſto, in quo eſt ſalus, & reſurrectio noſtra.

Pios ſermones habet B. Ber. de perſeuerantia in Eremo.

Exod. 12.

Apoc. 1.

Luc. 9.

Gen. 19.

Simus

Simus Mundo crucifixi, nè ad quippiam, quod
Mundum oleat,ſe noſtra manus extẽdat. Auſcul
temus diuinis monitis,libemus in hac ſolitudine
hoſtiam iuſtitiæ;nè bibamus de calice Babyloni-
co,qui etſi appareát aureus foris, verè intùs fer-
reus eſt. Dabit,qui dedit de aſperrimis ſilicibus
Num. 20. in deſerto potabiles dulcedines, ex his ſiccis ru-
pibus dulciſſimas aquas, ebibemus ex ipſo fonte
Pſal. 2. diuinitatis. Apprehendite diſciplinam ne quan-
do in iram concitetur Deus. Referemus tandem
de hoſtibus trophęa inſignia,præclaros triũphos,
æternæ glorię ſpolia.Ingrediemur ad terram pro-
miſſam lacte,& melle manantem;lacrymas fundi-
mus mæſtas,ſed riſus amœnos habebimus;ango-
res toleramus,ſed dulcores colligemus; ſerimus
tormenta,ſed gaudia metemus; iacimus ſuſpiria,
ſed quietiſſimæ pacis pondera Beatiſſimi conſe-
quemur. Noſtra egeſtas ditiſſima eſt,ſuauiſſimæ
lacrymæ, dulciſſimi dolores, feliciſſimæ pœnæ;
noſtra paupertas, fauſtum cæleſtium diuitiarum
præludium. Victus noſter herba ſi ſimplex,ſi ve-
ſtis cilicium,ſi cubile humus,ſi puluinar ſaxum,
mutabuntur hæc omnia in æternas delicias. Cili-
cium cingulum erit ſidereum;ſpinoſa humus ſtel-
latæ viæ trames ad Dei ſolium lacteus,& ſuauis.
Decreti ſunt nobis Cæli poſt terreſtre certamen,
& vltrà ſidera,quæ intuemur,degemus. Recolite
Eliam degentem in torrente Carith, Eliſæum in
Carmelo, Baptiſtam, cuius cibus erant locuſtæ,
& potus aqua,in ſolitudine. Audite horũ voces.
Non hic Antonios,Paulos,Hilarios, Pacomios,

Mar-

Martinos, & ceteros eremiticæ vitæ Principes memoro. Nè patiamini ſaltem imbelles, molleſq; feminas de vobis in vitæ eremiticæ auſteritate reportare victoriam. Quem veſtrùm latet pœnitens Magdalena in deſerto? Quem Aegyptiaca Maria? Pugnemus ergò nos homines alacriùs, quàm illæ cum carne, cum ſanguine, cum Tartari tenebris. Vertemus Dæmonum minas, & arma in nugas, & in eorum ludibrium. Duremus, toleremus. Lætetur, & triumphet in Deo Ieſu ſuo, ſub quo militat, quilibet noſtrùm. Ebibamus de turbido pœnitentiæ torrente, vt inebriemur in cælla vinaria diuinæ charitatis. Proſequamur nudi nudum Chriſtum, baiulemus cum illo crucem, erit ipſa crux virga, & baculus noſtræ peregrinationis, mutabitur eadem in ſceptrum gloriæ, & virgam decoris. Eſuri hìc, ſiti hic anima mea, epulaberis ibi, dabit amans Deus pro cœnoſis aquis fontes cryſta'linos, pro amaris cibis dulciſſimas eſcas, pro breuiſſimo doloris curriculo, ſempiternam felicitatem. Intueamini mea viſcera, Cælos, Sidera, Solem, Lunamquè, ipſam lucem Dei pretioſiſſimam ſupellectilē, & deſpicietis fœdiſſimam terram. His, & ſimilibus Bernardi verbis excitabatur eremiticus grex qui longa ſiti, & fame penè enectus, vix ſpirans, & protrahens non tàm vitam, quàm aſperam mortem, gracilis, pallēs, promiſſis barbis, incomptis crinibus, contectus cilicijs, lugubri amictu, nudis pedibus, præcinctus funibus, expugnabat Dæmonum agmina. Exemplo noſtri Ducis militant ſtrenui Athletæ, & qua-

ſi ad pacis littus appulſi ad illas rupes, nolebant amplius inſanis Mūdi fluctibus agitari, memores ſæculi ludibriorum, breuiſquè Eremi laboris, & certaminis æterna parituri gaudia, & coronam felicitatis. Cognoſcebant cæleſtia, illudebant Terræ nænias, & proditrices illecebras. Sedebāt à Mundi ſtrepitu alieni, ſolitarij. Hæc Eremicolarum vita, & hi mores; ſed quid de Bernardo dicam? Acclamabatur ille omnium Pater, columna Eremi, nouus Baptiſta. Si quis in Acconenſi deſerto fortè imbecillis, roborabatur ſolo tanti Ducis aſpectu. Siquis fortis, euadebat fortior. Si quis tepidus, ſeù frigidus inflammeſcebat. Felix Pater tàm illuſtrium filiorum. Felices filij ſub tāto Patre. Vos hic labor habet vnus, habebit, & in empyria ſede vna quies beatiſſima ęternitatis.

Venenata dona mittuntur B.Bernardo, vt pereat in deſerto, ſed diuinitùs ea dignoſcit, ſignoq; crucis toxicum depellit.

CAPVT V.

HIc rerum in Accona ſtatus; cùm callidiſſimus ad noſtram perniciem propēſiſſimus Satanas Bernardo inſidias parat, vt pereat; vtq; citam, certamq; obeat mortem, impium quid ipſe impius ſtruit; infremit ira ob tot animas, homineſq; illius exemplo, ac ſuaſorijs verbis, ab eius faucibus, imperioquè ereptos, ob ſacrum, cæleſte

bel-

bellum in ea ſibi ſolitudine eſurie, ſiti, flagris, precibus, ceteriſquè pijs operibus parandum, ob glorioſas pugnas quæ electa ea, & eremitica inſignium virorum caſtra eſſent geſtura. Occaſionem nactus impietati aptiſſimam, quid horridum mente agitat. Efferueſcebant odijs tunc temporis Guelphorum, & Gibellinorum factiones hoſtiles. Gibellini, vt hoſtibus ſuetum, crudeliſſimã in omnes, qui à Guelphis erant ferociam, atrocitatem omnem, internecionem parabãt. Cauſam hic breuiter, atquè tantorum odiorum originem curſim perſtringam.

Piſtorij, quæ eſt celebris Tuſciæ Ciuitas, duæ erant ſectæ, altera Panciaticorum, Cancellariorum altera, duoquè fratres Primus nomine Guelphus, ſecundus Gibellinus. Guelphus Panciaticos, Gibellinus ſequutus Cancellarios, aſpera eorum odia, & truculentas inimicitias ipſi etiam ebiberunt; atquè vti è potẽtiſſimo phalerno grauiores, & tetriores emergunt fæcis reliquiæ; ſic duo hi Fratres, fraternis calcatis beneuolentiæ legibus, in acerrimos conflictus, & odia ſe dederunt præcipites. Ex his igitur fratribus armorum ſtrepitu inſignibus cœptæ vocari in Italia infenſæ factiones Gibellinorum, Guelphorum. Gibellinus cum aſſeclis à fratre Guelpho fuit Patria pulſus. O quàm verum; Regnantes duos vnica non capit aula! Horum fratrum exemplo diuidebantur nedum in vrbibus italis, ſed oppidis, oppidulis, ſuburbijs, compitis, domibus, & in ipſis familijs hoſtiles ſectæ, cruenta odia. Dixiſſes è

Origo Gibellinorum, & Guelphorum factionum in Italia.

Lege Sabellicum.

ſi ad pacis littus appulſi ad illas rupes, nolebant amplius inſanis Mūdi fluctibus agitari, memores ſæculi ludibriorum, breuiſquè Eremi laboris, & certaminis æterna parituri gaudia, & coronam felicitatis. Cognoſcebant cæleſtia, illudebant Terræ nænias, & proditrices illecebras. Sedebāt à Mundi ſtrepitu alieni, ſolitarij. Hæc Eremicolarum vita, & hi mores; ſed quid de Bernardo dicam? Acclamabatur ille omnium Pater, columna Eremi, nouus Baptiſta. Si quis in Acconenſi deſerto fortè imbecillis, roborabatur ſolo tanti Ducis aſpectu. Siquis fortis, euadebat fortior. Si quis tepidus, ſeù frigidus inflammeſcebat. Felix Pater tàm illuſtrium filiorum. Felices filij ſub tāto Patre. Vos hic labor habet vnus, habebit, & in empyria ſede vna quies beatiſſima ęternitatis.

Venenata dona mittuntur B.Bernardo, vt pereat in deſerto, ſed diuinitùs ea dignoſcit, ſignoq; crucis toxicum depellit.

CAPVT V.

HIc rerum in Accona ſtatus; cùm callidiſſimus ad noſtram perniciem propēſiſſimus Satanas Bernardo inſidias parat, vt pereat; vtq; citam, certamq; obeat mortem, impium quid ipſe impius ſtruit; infremit ira ob tot animas, hominesq; illius exemplo, ac ſuaſorijs verbis, ab eius faucibus, imperioquè ereptos, ob ſacrum, cæleſte

bel-

bellum in ea ſibi ſolitudine eſurie, ſiti, flagris, precibus,ceteriſquè pijs operibus parandum,ob glorioſas pugnas quæ electa ea, & eremitica inſignium virorum caſtra eſſent geſtura. Occaſionem nactus impietati aptiſſimam,quid horridum mente agitat. Efferueſcebant odijs tunc temporis Guelphorum, & Gibellinorum factiones hoſtiles. Gibellini,vt hoſtibus ſuetum,crudeliſſimã in omnes,qui à Guelphis erant ferociam,atrocitatem omnem,internecionem parabãt. Cauſam hic breuiter, atquè tantorum odiorum originem curſim perſtringam.

Piſtorij, quæ eſt celebris Tuſciæ Ciuitas, duæ erant ſectæ, altera Panciaticorum,Cancellariorum altera,duoquè fratres Primus nomine Guelphus,ſecundus Gibellinus. Guelphus Panciaticos,Gibellinus ſequutus Cancellarios, aſpera eorum odia, & truculentas inimicitias ipſi etiam ebiberunt; atquè vti è potẽtiſſimo phalerno grauiores, & tetriores emergunt fæcis reliquiæ; ſic duo hi Fratres, fraternis calcatis beneuolentiæ legibus, in acerrimos conflictus, & odia ſe dederunt præcipites. Ex his igitur fratribus armorum ſtrepitu inſignibus cœptæ vocari in Italia infenſæ factiones Gibellinorum,Guelphorum. Gibellinus cum aſſeclis à fratre Guelpho fuit Patria pulſus. O quàm verum;Regnantes duos vnica non capit aula! Horum fratrum exemplo diuidebantur nedum in vrbibus italis, ſed oppidis, oppidulis, ſuburbijs, compitis, domibus, & in ipſis familijs hoſtiles ſectæ, cruenta odia. Dixiſſes è

Origo Gibellinorum, & Guelphorum factionum in Italia.

Lege Sabellicum.

barathris excitata prælia humanum genus deuaſtatura. Pugnabatur acerrimè pro ipſis tantùm Guelphorum, & Gibellinorum nominibus. Erat in illo funeſto, & ferreo ſæculo Piſis Imperator Occidẽtis Fridericus Secundus Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimus, Pontificiquè Gregorio IX. tùm ſedenti, vt ceteris prædeceſſoribus barbarus hoſtis, & neſcius quænam ipſum foret factio ſecutura, ſe tandem ex Gibellinis eſt faſſus, quorum armis Imperator auctus, & Imperatoris itidem acceſſu, auctior facta ipſa Gibellinorum ſecta, Eccleſiæ toti, Guelphicæquè parti ſtrages innumeras, & neçes intulit (quæ nec mente percipi queunt) horribiliſſimas. Boni omnes, pijquè viri in tetro luctu, & męſto ſqualore iacebant, præ omnibus verò ſanctiſſimus, & Summus Paſtor deplorabat Italicas oras diabolicis agitatas furijs, ferino more, comite tantùm perfidia, contra fas, & ius omne, arma capientes, pugnantes, depopulantes, deuaſtantes ſeipſas. Indixit ſacra, & pia ieiunia, frequentiores Sacramentorum vſus, & alia multa, vt peſtem illam ferociſſimam, vel fugare, vel linire poſſet. Concionem habuit feruentiſſimam ad populum, quòd ſumma ſtultitia pro nomine Guelphico, vel Gibellinico homines ſeipſos darent præcipites interitui, fratres interficerent, in proprios ſæuirent parentes, ſacra profanarent, templa polluerent ſanguine, Dei tandem Eccleſiam, eiuſquè Paſtorem acerrimè perſequerentur, fœdarent, funeſtarent deniquè cuncta. Tetigere animos, populiquè corda, verba effer-

Fridericus II. Imperator pro Gibellinis.

Greg. IX. cõcionem habet pro extinguendis turbis pugnantium ſactionum.

uentiſſimè effuſa à Beatiſſimo Summo Pontifice ità, vt omnes illum ſequerentur, ſtarentquè pro eo ſubituri millies mortem; ſic, authore Pſalmiſta, peccatorum deſiderium perijt, & impij, crudeleſquè conatus Gibellinorum euanuere. Mens & voluntas omnium ad Guelphos verſa, & ad Summum Paſtorem. Abeant aridi, & mortui eorum conatus, qui caput non agnoſcunt ſuum. Habet Eccleſia inſurgentia ſternere monſtra, habet ipſa glorioſos Hercules ſuos. A Pontifice ergò, & ex pontificijs aſſeclis fuit Minus Bernardi genitor, & etiam ipſe veluti fidiſſima Paſtoris ouis, quare à Gibellinis, etiam tanquam caput Eremi, & ſtrictioris ſanctimoniæ cultor odio habebatur acerrimo. Nihil tàm ſæuè inimicos torquet, quàm virtus, & probitas; & vt omnia inter, nil tàm vnquam habuit inſenſiores hoſtes, quàm virtus, ſic eoſdem vidit ſemper ipſa fugaciores, & perditos. Arx eſt fortiſſima virtus, & probitas, non verba eam quatiunt, nec enſes feriunt, nec odia agitant, nec inuidus perdit liuor; ſpumet, & latret vnda ferocior animorum, fremat impetus acrior aduerſātium, illa ridet vndas, ſpernit ictus, calcat auſtros, fremitus proſternit ſonoros. Ex aſſeclis, ſeù potiùs ex diris Gibellinorum furijs, quidam Bernardi gloriæ inuidentes ſanctitatis fama vndequaquè celeberrimi, & Ptolemæorum nominis noui fulgoris, Bernardum (Nihil ſanctitate auguſtiùs, nihil ad æternandam proſapiæ memoriam concinniùs) perimere moliuntur. Et quid belli parat vobis homo nudus, inermis?

Pſal. 111.

Ptolemæi ex factione Guelphica.

Virtutis quanta ſit præſtantia.

Quæ formido, qui terror expectandus ab Eremicola? Inſtabat lætiſſima reſurgentis Numinis dies, qua Seruator noſter, ſubacta morte, triumphale corpus reſumpſit. Statuunt in tanta celebri luce vitæ, mortem, mortis filij Gibellini, Patri noſtro inferre, rati etiam ceteros Eremum relicturos, amoto Bernardo Principe. Deſtinant famulum callidum, & in verſutijs cunctis verſatū, qui venenatas in deſertum ferat epulas. Aſportat truculentus ille veneno infectæ carnis ciſtellam brachio inſertam, vinumquè itidem ſæuiſſimo toxico inſperſum. Audet calcare viam tantæ lator mortis? Viuit gradiens ad Bernardi, & Eremi excidium ſacrilegus Hiſtrio? Cui fulmina cælum tonans reſeruas? Tenet iam conſilium in mente peſsimus nuncius, aitquè effrons, & venerabundus Beato Bernardo à viris pijs ad eam ſe ſolitudinem miſſum, ferrèq; cibum, potumquè, eleemoſynam frugalem, vt ipſe, & Sancti Eremicolæ ſocij in tanta vitæ auſteritate reficerentur, vtquè piè, ac religiosè paſti die omnium ſolemniſsima, alacriùs Deo inſeruirent, preceſq; funderent pro ijs, quos charitas tetigerat, & illa miſerunt. Bernardus è cælo monitus, dato humili feruenti ſuſpirio. Non me præterit, inquit, à quibus mitteris, & donorum, quæ ſit charitas; ſit mihi teſtis cælum, quòd vobis ignoſco, precorquè Deum, qui hoſtes iuſsit amari, & tibi, & his qui tua vſi ſunt opera, propitium. His dictis, ciſtam aperiri præcipit, & detrahi tomentum ab ænophori ore, & manifeſtat adſtantibus, factoquè, vt moris eſt bene-

B. Bernardus epulas venenatas diuinitus agnoſcit.

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 2. cap. 14.

dicen-

dicendi regulæ, crucis ſigno, quaſi ignem ſuppoſuiſſet ſufferuet, & bullit vinum, non ſecus ac fictilis olla; effluit indè liquor niger, & ſpumeus, dat colorem caro cæruleum, palamquè munera toxici luridi præbent apertiſsima ſigna. Dein deferenti famulo ait Bernardus; fruſtrà contrà Dei ſeruos ſtruũtur inſidiæ, ò fili, triumphauit ſignum crucis de morte, de qua ipſe Chriſtus moriens egit triumphum. Ijs referas, qui pietatis pallio hæc iſta largiti ſunt, gratiſsima mihi, & ſocijs extitiſſe, lethum miſiſſe, non dediſſe, ſi enim mortiferum, vel edamus, vel bibamus, Deo pollicente, non nobis nocebit. Feras beſtias in cicures omnipotens, & ſerpentum venena in ſalutaria pharmaca mutat. Ederunt itaq; Bernardus, ſocijquè de mortiferis cibis; nec quid mali perpeſsi; ille verò, qui munus detulit Bernardi ſanctitatem admiratus, ad illius prouolutus pedes, veniam humillimè poſcit, tandem diſcedit. Viuit iuſtus, ceù Palmes Chriſto viti iunctus, quem circumſtrepere poteſt coluber antiquus, non officere.

Marc. 16.

B. Bernardus, & ſocij veſcũtur venenatis, nec læduntur.

Graſſantur adhuc mali Dæmonis inſidiæ, inhiatquè iterum Bernardi, Sociorumquè Eremitarum victoriæ.

CAPVT VI.

QVæ per eos, qui extrà degebant non potuerat conſequi malignus Dæmon, ſtuduit

per domeſticos Bernardi, qui eamdem ſolitudinem incolebant, obtinere. Eremitæ enim pleriq; eam vitam peroſi, inito inter ipſos conſilio, quaſi diù nequirent in illis rupibus degere, diſcedere ſtatuunt, ſolumquè B.Bernardum, ſi abire nollet, ibi deſtituere; quapropter ipſum adeunt, aſſerũtq; firmiter illuminatos ſe eſſe cęlitùs, vt illinc ſtatim abeant, quòd tandem abſquè bonorum fructuum opere, deſperati in deſerto, ocij rei perituri eſſent; conſequuturi tutiùs animæ ſalutem actiuæ vitæ in ſæculo operam dantes, ibi plurà charitatis ſtudia peragi queunt. Aſſeuerant noćte à Deo admonitos per ipſius Angelos, quos habuerunt conſiliarios. In ſæculo carceres inuiſemus, Xenodochia, perditis viris conſilia præſtabimus ſalutifera, in ſæculo Sacramentorum eſt adminiſtratio, ruituras puellas nuptui dabimus, ſitientes potabimus, fameſcentes paſcemus, indoctis pijs, ac ſapientibus monitis præſtò erimus; viduas, pupilloſquè tuebimur, & alia exequi plurima, quorum à nobis nouiſſima die ſeueriſſimum exigetur iudicium. His omnibus Eremus caret bonis, & deſolata loca deſtituta ſunt, ibiquè vberior meritorum meſſis futura eſt, vbi maior indigentia. In deſerto aſſerunt ferino penè more trahi vitam ocioſam, aut homines Dij eſſe deberent. Et quis ad diuinitatis culmen in terra degens conſcendere valet? Sumus hìc puluis, & cinis. Et ſi quid in his ſpelæis valemus nulli alteri, niſi nobis ipſis frugi ſumus. Non inter cancellos Vallis huius continendum ampliſſimum charitatis præceptum.

Bona opera pia, quæ in ſæculo exercentur, proponuntur B. Bernardo à Dæmonibus, vt deſertum deſerat.

ptum.

ptum. Omnia hæc ſeditioſè obmurmurant hi, quorum in ore loquebatur Dæmon tentator, qui in Angelum lucis ſe transfigurans pugnat, ſuaſq; faces auernales per illas rupes funeſtè rotat, videtquè Beatus Pater inclinata penè Chriſti eremitica agmina, & penè labantia, & dum conſtantibus precibus, & ſanctis monitis reſtituere nititur, ecce maior ingruit ſæua tentationis procella; duo enim Dæmones ementiti eremiticum habitum, alter ad viuum referebat Ambroſium Piccolomineum, alter Patritium de Patritijs, primos Bernardi ſocios probitate inſignes, & illius ſolitudinis firmiores columnas, Dæmones ergò pallore inſueto perfuſi, humilitate profundiori, mœſtitudine cinericia, demiſſis oculis, complicatis brachijs ad Beati Patris pedes ſtrati, ruentibus per genas lacrymis, ſummiſſa voce aiunt à Deo ſibiipſis indignis ſeruulis patefactum perpetuis auernalis barathri damnandos cruciatibus vnà cum ipſomet Bernardo, niſi poſthabito eo deſerto ad feruentiora opera charitatis ab ipſo Deo eis oſtendenda, ad ſęculum reuertantur. Non vocari ad ocioſam ſolitudinem, ſed ad oues perditas, vel palantes, & errabundas reducendas. Imperitis viris deſerta loca, rupes, & ſpecus, frondoſas ſiluas cypariſſos, quercus, & fagos, & inacceſa nemora eſſe parata. Maledictis ſubeſſe, qui talenta ad proximi ſalutem collata, in valle deſerta effodiunt. Quid tibi ò Bernarde prodeſt, quod à cęlo tàm profusè participas? Quid tot anni in ſcientijs, in toga, in Reipublicæ exacti

Dæmones referentes Ambroſium Piccolomineum, & Patritiũ de Patritijs ſuadent B. Bernardo à deſerto diſceſſum.

Greg. Lombard. lib. 2. cap. 13. in vita B. Ber.

munc-

muneribus? Quid ingenij acumen,ſanguiniſquè tibi proſapia dabunt ducturo ſaltus inter ſilentes, & vmbrantes ſiluas vitam inertem? Nec con ceſſum tibi lumen cælitus, vt hæc nemoroſa circumſpicias teſqua; ſuſtolle ſodès ex his depreſſis vallibus oculos,intuere cælum,& ad opera cęlo digna greſſus celerato,properato viam; ſolare mœſtos, Patriæ ruituræ,de qua iam ſic optimè meritus,conſule tandem. Tot illius miſerias,tantam pauperum inopiam, tales calamitates ,tot ſuſpiria,tot languores,tot mala audis,& toleras? Noſti,& non accurris auxilio? Vel fera es ſub hoc cilicio latitans, vel efferus homo feræ veſte contectus,ingratiq; animi monſtrum. Et nos tecum hìc peribimus, damnabimur omnes? Miſereat te tãdem noſtrùm,miſerias vide,& prouide. Nos vnà tecum ruemus in Patriæ periclitantis auxilium. Ferto opem turbis inter calamitoſas interneciones gemebundis. Miſereare indigna tolerantium. Abeamus hinc,diſcedamus,auolemus, exurgamus tandem propter miſeriam inopum,& gemitum pauperum, vt ipſe nobis Numẽ conclamat. Sed patieris nè tu ſiccis oculis videre tot Eremicolas,tanquam Mundi iectamenta omni ſpe deſtitutos ex his arborum truncis pendentes,laqueo viam vitæ intercludere? Nos ſepoſitas in has valles non cæleſtis, ſed tartarei ſpiritus impetu delati ſumus. Incòlatur hæc ſolitudo à ſegnibus nullius frugi hominibus. Exaudi tu interim femineos vlulatus,infantium vagitus,egenorum miſerias, hi probati teſtes, & laudatores

Multa congerunt Dæmones ementitis eremiticum habitũ, vt B.Ber. relicta ſolitudine ad ſæculum reuertatur.

Pſal. 12.

penès

penès Deum,cuius eris imitator,charitatis.Hæc Omniregentis voluntas,hòc Superi iubent amore ergà proximum etiam in Empyrio flagrantes. Reſiſtere his vocibus, quàm impium. Conuerſiquè laruati illi duo Dæmones ad Eremitarum gregem ſublatis manibus, ſignoquè diſceſſui dato, exclamabant. O quicumquè has rupes, has valles incolitis,ſi viam ſalutis,& promiſſæ quæritis beatitatis, ſi æternam inter cælites vitam cupitis,abitote hinc, euolatote, en è Cælo vox nobis intonat. Nos derelicta patriæ mœnia,nos irrigui lacrymis pauperes, nos conſanguinei, nos amici,nos raptatæ Virgines, nos lugentes,paſſis crinibus,Viduæ vocant mœrore confectæ.Quæramus, quæramus tandem non quæ noſtra ſunt, ſed quæ Dei, cuius ſunt animæ, poſthabeamus cetera omnia,& charitati nitamur vni omnis perfectionis nobiliſſimo vinculo. O Bernarde,Bernarde,quid mente hæſitas? Quid longiùs adhuc protrahis moras? Diſcedemus nos citiſſimi, diſcedes & tu ſi ſapis, & ingredi ad vitam optas. Beatus Pater demùm,poſt longos ab illis ſermones contextos, cæleſti perfuſus lumine, in eos coniectis oculis,dignouit, non eſſe Ambroſium, non Patritium,ſed tenebrarum ſpiritus laruatos, Eremicolarum ementitos vultus,quarè actutum ipſe exclamat.Ite malis omnibus addicti rebelles ſpiritus veſtras in abyſſos igneas, abite ſulphurea in cubilia, & loca, quæ vos expectant lata nocte ſilentia; linguæ veſtræ mendaces,quæ tanta congerũt, expectantur à flammis,non eſt cur mentia-

B.Ber. nouit Dæmones tẽtatores, eoſq; fugat.

mini ora Ambroſij, Patritijquè. Monſtra eſtis ſtygis,& inferorum; charitas vobis ineſt nulla, inuidia vos vrit,& torquet, dignus,& aptus eſt ardor inferus ſempiternus veſtræ inuidiæ. Diſcedite à ſacra Eremo, terga hinc nunquam reuerſuri vertite, datoq; præpotenti Crucis ſigno, ite tandem, ſubdit, præcipites in nomine Ieſu ad barathra. Illi, horribilibus vlulatibus, plangente ſilua, fumante nemore, lugente Valle, ſqualentibus rupibus, turbida flamma, peſtifero ſulphureo fœtore, funeſtoquè igne obuoluti, euanuere. Accona felix tantæ ſpectatrix victoriæ, tantorum admiratrix triumphorum Bernardi. O nemus beatiſſimũ præſtantiſſimi noſtri Ducis ſedes glorioſiſſima! Infremuit plauſibili horrore nemus totum, & excuſſæ ſiluulæ Io, Io, euge Bernarde canebãt. Plures Eremicolæ Dęmonum doloſis decepti verbis diſceſſui accincti, cœcitate diuinitùs percuſſi, manibus palpantes tenebras, viã egrediendi à deſerto, inuenire nequibant, ſed pio Patre orante, reſtituitur illis lumen, ipſe vero fraudulentas tecnas, arteſquè mille nocendi Dæmonum pandit, & quàm ſæuiùs graſſentur in omnes, qui mundanis abrenunciantes Deo ſe mancipauere; aperit profuſiſſima oratione fructum certiſſimum eremiticæ vitæ. Manifeſtat Chriſtum ipſum triginta annos in deſertis Nazareth, & Aegypti Eremitã fuiſſe. Refert sãctiſſimos, & antiquiſſimos Patres, qui ſolitarium viuendi genus inſtituere, & in eo ſanctiſſimè Deo ſeruientes degerunt, monſtrat multas eſſe diuinæ vocis electiones,& Martham

Idem Lombard. vbi ſuprà.

Eremitæ à deſerto diſceſſuri cœcitate plectũtur B. Bern. precibus lumen recipiũt

B. Ber. tecnas Dæmonum, & ſolitariæ vitæ laudes aperit.

ope-

operoſam vniri in ipſo Euangelio Magdalenæ oranti, immò, hãc ipſa veritas teſtata eſt ſortitam fuiſſe partem meliorem. Proximis, amicis, conſanguineis, Patriæ nil ſupra Deum deberi, ſolùm nos pro illis, & pro humano genere vniuerſo aſſiduas teneri preces effundere, vt vnuſquiſquè Deum cognoſcat, & amet, & cæleſtem deniquè gloriam aſſequatur. Laudat eos, qui actiuam vitam ſanctè proſequuntur, omneſq; monet in ſua manere vocat ione. His dictis, diuina cooperante gratia, in priſtinum feruorem eremitici inſtituti cuncti redacti ſunt.

A Dæmone malo tentatur, vt in laſciuiæ labatur cænum, ſed diuino munere victor euadit.

CAPVT VII.

TEntationibus ſeruos ſuos exercet ſalutis elargitor Deus nè longo, marcentiquè nutriti ipſi ocio miſerrimè tandem fatiſcant. Iuuat, porro cælo duce, perſequendo malus Dæmon. Alienam materiam exuit, cum crematur aurum. Aurea puritas, & fulgor ſæuientem habet flammam nutricem. Expiat tempeſtas mare, & pellit è ſinu pelagus putreſcentia, & cadauera ſordida cùm ventis nimbiſonis quatitur. Validius, ſed vtilius apparatur à Barathro in Acconenſi Valle Bernardo bellum. Nulla labes carnis ſpurcitie

Libido omnium culparum fœdiſſima.

fędior, nihil aptius emaſculandis, effeminandiſq; animis fœdą libidine; ſint teſtes Samſones fortiſſimi, ſapientiſſimi Salomones, Dauideſquè fideliſſimi paſſi in hoc ægæo æſtuanti inter ſyrtes, & ſcopulos infelicia ſua naufragia. Hac tænaria, bellicaquè machina arietare, & ſolo ſternere ſtuduit Satanas arcem illam fortitudinis Bernardi, totamquè, ſtrato duce, ſacram funditùs euertere Eremum. Sæpè, ſæpiùs ante oculos obuerſabantur, & vagabantur ſpectra fœdiſsima libidinum, quæ, & ſi à ſe vigili cura arcere ſategebat, aliò conijciens indignabundus lumina, nihil prorsùs efficere videbatur. Claudebat oculos corporis, vt verſaretur in tenebris, caſtigarentq; informes vmbræ viuas illas fœditatis imagines; at nihil proficit, habet vmbras ipſas pediſſequas tenebrarum pater; ſæuiùs enim volitabant in mente impudica phantaſmata, ſpurca luxuriæ irritamenta. Ieiunijs, flagriſquè macerabatur, & tamen adhuc graſſabãtur amara illa ſimulacra dulcedinis. Orat prolixiùs cruciabilibus ſuſpirijs, & feruidis lacrymis, velut alter Paulus, vt à ſe auferret Deus Satanæ Angelum ipſum tàm dirè deſerto in eo loco colaphizantem; nec exaudiebatur, ſic ferociter, & ſæuè illis molliſsimis cogitationibus, & voluptarijs phantaſmatis eum oppugnabat Tentator. Si dormit, laſciuus vultus apparens non obdormiſcit. Si aduigilat, peruigiles amoris illecebroſæ voluptates adſtant. Si ſitit, caro in voluptatem vellicatur ſitibunda. Si emortua penè lãguet famelica, adhuc flamma illecebroſa exuri-

Sæuius tentatur libidinis face B. Ber.

2. Corinth. 12.

tur. Si flagris ſe excruciat, torquetur mens laſciuiæ face; ardet tandem caro in ieiunijs, in ſiti truculentior; in nuditate videbatur arma induere ferociora, inter flagella calcitrat ſtimulo ſæuiori. Quadam die cellulam pauperrimam, breuemquè ſpecum ſuis effoſſum manibus, oraturus ingreditur, atquì ecce inibi formoſiſsimam reperit puellam, quaſi de via laſſam, humi fuſam, quæ, interruptis ſuſpiriolis tenerrimos ocellos hàc, illàc, amatoriè conuolucbat, erigit illicò plantas, pharetratis gliſcit nutibus, geſtit aſpectu, blanditur ſignis, tenereſcit vultu, auri ſcobe coma inauratur; calor, & color purpureæ genæ torquet impuri amoris iacula, nudat candida pectora. Quid nõ faceret, vt ſuccumbat Bernardus, obſcœniſsimus Dæmon? Illa, poſt patentiſsimas libidinis notas, inijcit in eum brachia, manuſq; amplexatura. Adſtate Superi è Cælo, dies allabere puriùs, & ſereniùs. En quæ audet per femineum ſpectrum Styx auernalis! Pallet intereà, albetquè attonitus penè exanimis Bernardus iam, iamquè cæleſti iuuante, & inſtillante vitali aura, collectis paululùm viribus, fugam, non ſecùs ac gorgoneum ſi vidiſſet colubrum, arripit fugaciſsimam; illa tamẽ dolis inſtructa innumeris, nullo dato fugæ loco, brachia ſtrictè Bernardi collo nectit iterum. Affatur blandulè de ſuo æſtu; antiquas proſequitur ſuſpirabũda flammas, memorat choreas, ludicra, ſeneſes vigilias, repetit, inſuperabili amoris excitam ſe ſtimulo, iaculoquè pungenti illuc tandem aduentaſſe tantis flammis medicamen aliquod

Dæmõ emẽtitus puellæ formam impudiciſſimã titat B. Ber.

Gregor. Lombard. in vita B. Ber. lib. 2. cap. 17.

quod repertura; dicit, & lacrymulas mendaces ſpargit, ancipitem ſe viam ingreſſam clanculum per rupes aſperas, dumis horridas, cruentam, Bernardi captam ardore effræni, pericula omnia, & mortem ipſam ex feris ſiluæ contempſiſſe; non mei memor fui, ſum, nulla coercita lege hùc anhela rui. A quo amātibus dari, & præſcribi poſſunt leges, ac iura? Maior lex amor mihi fuit, quo nunc langueſco. Egi me præcipitem hos per anfractus, & mæandros cęſpitibus, ſpiniſq; horrentes, hùc veni ſudore madida. Ex ore ſuſpiria ardentia exſpirabat, exſpirabat ætnas, incendia, gerebat in oculis limphati cordis faces; rubebant genæ ſimulato igne, corpus totum tænarias fauillas vomebat. Bernardus ex illius interim ſe explicare amplexibus conabatur, Numinis auxiliū præſentius exſuſpirabat, inuocabat ardentiùs Cælites Patronos; nequibat tamen ſe ab illis, vel ſumma vi, auellere nexibus. In eo arcto vinculo, & penè inſolubili impudicæ feminæ nodo moras nectentis, in illa tartarea amoris impudici tæda quid faceret Beatus Pater? Miſero nec fuga permittebatur, vnicum eiuſmodi belli effugium; obſecrat, vt dimittat, illa non paſſa repulſam, gemitus trahit longos, irrigat lacrymis dolentibus genas, ſpeiq; plena non cedit pertinax. Non diſcedam, ſuſpirat, tui amoris expers, æſtuantis animi cauſas mille aperit, illecebroſa tota; quò reuertar, inquit, neſcio, & quis mihi in hac ſolitudine comes mei erit itineris? Proripui me præcipitem per has rupes, vt in hac valle haberem commo-

dioris

dioris amoris floſculum. Ingreſſus hùc mihi fuere dumi, egreſſus inuij, vndè veni neſcio, quò vádam ignoro. Bernardus ſuſtollens ad cælum humidiores lacrymis oculos Deo, & Virgini potentiora ſuſpiria, ardentiores offert preces. Tandem, plaudentibus Cælicolis, aura ſuauiore diuinitatis afflante, vires illi addũtur potentiſſimæ, ſtatimquè diſſoluitur ab illius ſpectri fœdis amplexibus, cognoſcitquè Bernardus, eodem monſtrante Numine, non feminam, ſed Satanam eſſe petulciſſimæ meretriculæ ementitum obſcœniſſimam formam. Spectrum illud fuiſſe, Dæmonis arte, ex aerijs campis conglobatum, proindè inuocato Ieſu nomine ſacroſancto, quo Tartara contremiſcunt, protinùs terga vertit ingenti clamore victus Satan fuſcus, & luridus. Germinet tot palmas triumphales Accona, quot cypariſſos habet ipſa ferales, cingat palmis victricibus triũphantis inter ſua nemora, & ſpecus noſtri Bernardi tempora de Dæmone, immò de femina triumphantis, nec dirè ſic ſæuiſſet Diabolus, ni armis feminæ indueretur, maior victoria de obſcœna femina, quam de maligno Dæmone. De vtroquè ſimul triũphum reportat noſter Dux de femina, & de Dæmone. Ingere nunc inferna ſtyx ſacras pugnas, conflictus execrãdos noua, noua inſtruito machinamenta bellorum; quæquè pugna erit Bernardo triumphus, quilibet conflictus trophœum, quicumquè certaminum apparatus glorioſa plauſuum ſpectacula, & theatra.

Nouit Bernardus ſub deceptrice forma Dæmonẽ, & Ieſu inuocato nomine fugat.

Cæleſtibus fauoribus poſt carnis victoriam Deus ſolatur Bernardum. E terra ad Cælum ſcalas argenteas videt erectas, Ieſum, Matremquè Virginem ſcalarum faſtigio hærentes, & nouæ ſobolis habitus, & gloria apertiſſimè ei oſtenduntur.

CAPVT VIII.

MOrtificat, & viuificat Deus, facitquè, teſte Apoſtolo, cum tentatione prouentum, fugato ergò Dæmone, Bernardus acturus pro parta victoria ingentes gratias ipſi Deo, cui omnis triumphi gloria tanquam vnico authori, refundenda, & contemplaturus diuina, æterna, ipſumq; cælum intueretur lætiùs, puriùs, (oblectabatur enim nimium cæli aſpectu) ex ea ſpecu, quaſi, illa larua Tartari impudiciſſima foret polluta, egreditur, vt flexis genibus oret; iamquè ſupinis ad ſidera manibus ſublatis, preces ſuas humiliores, & ardentiores fundebat. Vix òrare inceperat, cùm Ieſus, cum Deipara inſueto fauore ſe ipſos Bernardo præbuere conſpiciendos, & imagines, & finem beatiſſimũ eorum, qui ipſum eſſent in deſerta illa ſolitudine ſecuturi, eiuſquè adhæſuri veſtigijs. Diſcriminat Beatus Pater, nõ vt Iacob humi ſtratus, ſed terræ hærentibus genibus, non ſomno ſopitus, ſed apertis oculis; non

2. Corinth. 10.

Michael Angelus Bonbauer. in Dial. ad Nuperos Oliuetanos pag. 7. Hiſt. Oliuet. lib. 1. pag. 2 Lombar. lib. 2. in vita B. Bern. cap. 18. & alij.

nocte

nocte in tempeſta, ſed ipſum ſub meridiem argẽteas ſcalas è terra ad ſidera faſtigiatas, ſcalarũq; cacumini Deum innixum,& Beatiſſimam Matrẽ. Proſpicit Chriſtum immenſa, & glorioſa inter paternæ lucis trophœa vndequaquè effulgẽtem, eiq; de parta ex hoſte victoria congratulantem. Exultat Bernardus, gaudioquè triumphat,fidum ſe Deo extitiſſe,nouaſquè, iuuante Numine, pugnas exardet. A dextris filij Deiparam Virginem intuetur è medio cuius pectore effulgebat ſidus, cuius ad radios ipſe Sol tenebreſceret; non obtundebat tamen fulgor ille, lux illa diuina, ſed cæleſti robore firmabat viſum; notatq; filiũ Dei, Matremquè Virginem niueis, & nitidioribus radijs, candidiſquè ſtolis amictos; videt eos quaſi de præclaro illo triumpho plaudentes, lætantes. Aſpicit dein ſcalarũ argenteos per gradus aſcendentes ſocios in labore eremitico ſuos alumnos ſtolis amictos albis, aſſociantes Angelos,turmatimq; de cælo deſcendentes ad terram,& laboribus fractos immortalem comitantes ad Empyrij gloriam.Raptus tanta ecſtaſi,nec à viſu ſeiũctus, ſuprà ſeipſum eleuatus Bernardus geſtiebat animo (tanta eius cor ardentiſſima charitate æſtuabat) vt quod ipſe contuebatur,ceteri quoq; Eremicolæ,ad diuinam gloriam euehendam, proſpicerent. Precatus hoc à Deo Opt.Max.à Virgine genitrice,vota fert. Quid non poſſunt Sãctorum preces? Noſter B.Pater,velut alter Iſaias fruens Dei conſpectu ſedentis in ſolio excelſo,mitti petit ad Fratres; graditur tandem exultans lætitia.

B. Bernardus videt Ieſum, & Deiparã in argentearum ſcalarũ faſtigio candidis ſtolis amictos.

Iſai. 1.

Pſal 83.

B. Bernardi ſocij in Eremo vidēt eadem quæ B. Pater mirabilia cōſpicit.

Rom. 8.

Aduentate, clamat, venite, accelerate fratres, ſocij, mea viſcera, commilitones mei, cernite, quas parauit Deus aſcenſiones è lacrymarum valle. Suſtollite oculos ad mirabilia has inter vmbroſas rupes factas nobile Cæli Theatrum omnium feſtiſſimum, & exporrecta manu, indicat digito ſcalas argenteas, Ieſum, Deiparam, Angelos, ſeq; ipſos datos in ſcenam beatam. Figunt obtutum cuncti in ea, quæ ipſe ſuſpiciebat Bernardus, procumbunt genibus, & ceù ſublimes aquilæ ſolaribus pendentes à radijs, admirantur, immota oculorum acie, nunc Ieſum, nunc Deiparam, nunc Angelos datos peregrinationis comites, nunc ſeipſos glorioſos de Mundo triumphatores; tundunt interim, tanquam indigniſſimi qui tanta viderent miranda, humillimè pectora, ruunt è genis vbertim dulciores lacrymæ, deoſculātur terram. Hæc dum apertiſſimè venerabundi intuentur, quaſi inter eos, & ſpectaculum illud glorioſum interiectū eſſet ſiparium, ab eorum corporeis oculis iucundiſſima viſio euanuit, factiquè alacriores in pugna cogitabant non eſſe condignas huius ſæculi paſſiones, dolores, cruciamenta, & pœnas quaſcumquè ad futuram gloriam, quæ à Deo præparatur fideliter ſibi inſeruientibus. Inibi, vbi data tanta videndi copia, erexit Bernardus Ieſu, & Deiparæ, & Archangelo Michaeli aram, eſtq; nunc odæum maiori Eccleſiæ oſtio propinquius, monimentum certè ad poſteros pijſſimum, vt noctéq; diequè pſallant Cœnobitę in Dei, Virginis, Angelorum, Cælitumquè omnium conſpectu, vt

con-

contemplentur remuneratorem munificentiſſimum Deum,innumeris laudibus,inceſſabili voce laudandum.Tenereſcunt ad hęc ſpectatores Oliuetani,rigidi eliqueſcerent ſilices.

Aerumnas patitur iterum Bernardus tanquam noua, & deteſtandæ ſectæ Princeps.

CAPVT IX.

NOuo Cæleſtis gratiæ oleo Athleta noſter fortiſſimus vnctus, taliquè aura Sācti Spiritus maximè perfuſus, ad nouam palæſtram, ad nouam ærumnarum luctam euocatur;non enim ſemel atquè iterum, vel ſæpiùs victus Satanas è pugna recedit;ſemper enim bellua illa,& tortuoſus draco circuit famelicus deuoraturus eſcas, ſeruos Dei,cum pręcipuè ſit cibus illius,vt inquit Iob, electus; nullo enim, teſte Bernardo Claræuallis, illa vis ferox premitur ſomno, inedia affligitur nulla,vigil ſemper,feruidus ſēper, inſpirat, inſtillat, immittit peſtiferum tentationis virus. Stimulat ergò zizaniorū ſator quoſdam, vt Bernardum deferant tāquam hæreſeos reum,nouæq; ſectæ Authorem. Pallio igitur charitatis tecti mendaci, ſummum integritatis, & publici boni zelum perditiſſimi homines præſeferentes Quiſitorem Senenſem adeunt,vt ignem ſtygij barathri (ſic dicebant) inter Acconenſes valles concluſum, ac ſerpentem, animaduerſionis, & ſeueriſſi

Benbauert. in dialogo ad Oliuet pag.9. Hiſtor. Oliu. lib.1. fol.7. Lombar. lib. 2.cap.19. & aliy.

Sæuit crudelius in B. Ber. Dæmon. Bernar. Claræuallis.

B. Bernar. Defertur vt hæreſeos reus ad tribunal S.Officij.

marum illicò pœnarum aquis extinguat, nè latiùs diffuſus pariat Tuſciæ, Italiæ inextinguenda incendia. Hæreſis quippè flãma eſt impia, inquiunt, nulli parcens; ſpurca lupa omnia vorans, peſtis rapida permeans per maria, per terras; fœda procella cuncta deuaſtans; bellua inexplebilis ſua ingluuie quæcunq; abſorbens, eius initia ſemper exigua, abiecta, ſordida; ſed, velut igniculus ſenſim cinefacit immenſos frondoſorum nemorum montes; parua flamma, flante protectrice aura crepitat, fragoſaſquè ſiluas cõſumit volanti ſcintilla. Homines inſignioris ſcientiæ, tumidi ſuperbia nolentes captiuare intellectum in obſequium fidei, dati præcipites, æmulati Luciferum, qui quò altior, & ſapientior efformatus, eò abiectior, dementior ab Empyrio pulſus. Quot militantis Eccleſiæ veluti micantia ſidera altius cecidere è cælo ad barathrum? Scimus, ſcimus nos Bernardum & ſanguinis proſapia, & litterarum omnigeno ſtudio, doctrinaquè admirabilem. Tenemus diſſitis populis notiſſimum, tantæquè eſſe fidei, vt ipſi eruditi, & ſapiẽtiſſimi viri per eius iurare verba non dubitent, ſed ex ipſo tanti nominis incremento metuendum excidium. Nos religioſa moti pietate ad hoc ſanctum tribunal ſiſtimus, deſerimuſquè Bernardum, ſocioſquè. Celant mortiferos ignes Eremitæ illi in Accona, huius peſtiferæ ſectæ, non modò fautor, ſed author eſt Bernardus Ptolemæus, cuius, & ſociorum maxima ingenia nequeunt in magna ſolitudine non magna moliri. Viuunt exleges in valle deliteſcẽtes,

Hæreſis quã pernicioſa.

2. Corint. 10.

ne

ne damnari ad condignas,& meritas pœnas poſſint. Maior lex Eremicolis illis eſt id, quod arridet, placetq; Bernardo. Equus eſt vt in Ilio illa vallis fœta armis,& bello, vt qui incluſi ibi egreſſi tandem ſecent, vrant, deſtruant, depopulentur afflictam, lugentem, ſqualentem, his funeſtis temporibus in hac italica plaga, Dei Eccleſiam, vbi tot hoſtes immaniſſimi, ceù lupi rapaces perfremunt in ouiculas Ieſu, ſummo Antiſtite,& Paſtore abſente. Medela opus eſt. Obſtandum principijs, nunquam offecit præuidere,& ſemper tutum fuit in tuto eſſe; futura enim præuidere ſapientis eſt. Quid ſi aliquando hic ignis erumpet? In re ancipiti exſtirpanda infirmi animi eſt eſſe ancipitem; non minùs vmbræ, quàm res ipſæ grauioribus in rebus nos territos, nos admonitos volũt, veriùs in ijs, quæ ad religionem, fidemq; ſpectãt; initio enim non auulſus paruus error altiùs radices ita agit, vt penitùs eradicare nequeas. Labes eſt hæreſis, cui ni celerrimè occurras, lõgè, lateq; effunditur; ſtatim sãguine eſt expiãda. Inuiſe illos Eremicolas, ſcrutare quid agant ſi vales, quid ſtruant, ſi potes, ſic vnanimes ſunt, ſic inuicem cohærent, vt ne verbum quidem extorqueas ab vno, quod non ab alio. In arce intellectus conditur, latitatquẽ hæreſeos error,& ſcelus; quod ibi latitat, latet & ipſos Angelos. Humanæ mentis profundiſsimæ abyſsi vnus Deus ſcrutator. Sit imminentis publici periculi remedium, ipſum periculum. Eijcere perperam è ſpecu fraterculum. Quid indè? Nihil Reipublicæ infeſtius, quàm

Multa Dæmonis aſtu iactantur in B. Patrem conuicia.

quod priuati homines noua moliantur. Stupidi animi eſt nihil vereri. Non ſemper minæ ruinas antecedunt. Quod ſi nihil certi contra Eremicolas conſtat, in hoc tamen incerto valde quid malli occluſi pertimeſcendum. Certum tamen eſt nulla probata lege ſolitarios illos viuere. An expectas, vt quod viri probi verentur infauſtus aliquis probet euentus? Sed innocens ſit Bernardus, ſocijquè in Accona ſecum degentes. Quid virtuti tuæ Quiſitor? Quid tuo muneri exacta ſtudia, & conatus omnes officient? Nemo ſub initiũ magno exceſſu Chriſtianam Rempublicam perturbauit, magnarum rerum euerſiones tollit, exorientes vmbras qui dirimit. His tàm profusè, tàm dolosè prolatis ſuaſus aliquantulum Quiſitor prudens cogitauit, & ſtãdum proximi famæ, præſertimquè Bernardi ab omnibus integerrimæ vitæ habiti, & ſui muneris partes ſimul exequi, quare iter tenuit medium. Nec euertere ſacram Eremum incolentium auſteritate, & pœnitentiæ celeberrimam, nec interturbare voluit Dei ſeruos iactatis conuicijs hæreſeos poſtulatos, ſed nè ſeris remedijs malè obiecta fortè augerentur, certiorem fecit Summum Pontificem de ſibi in Bernardum Eremi Principem, ſociorumq; aſcitorum delatis. Aperit inſuper ſanguinis ſplendorem, doctrinæ præſtantiam, viuendi auſteritatem, ſed nullo peculiari eſſe vallatam inſtituto Eremum, & fortè arbitratu ſuo vitam quemquè ducere, vel eiuſdem vnius Bernardi ductu. Multos eſſe qui deſerta ad ea loca accurrant. Dubitari à quibuſ-

Quiſitoris ſancti Officij prudentia.

dam falſis dogmatis eſſe ſolitudinem, valleſq; illas imbutas. Sub ruuido tegumento ineſſe aliquãdo, abſcondiq; ſpiritum ruuidiorem euangelio diſſonum. Specus, & nemora aptiſſima ſtruendis ſectis. Orat enixè à ſummo illo pontificio throno digna iuſſa, & mandata veniant. Scribit à ſe nihil decretum, nec inconſultò ſumma ſede veritatis columna, ſe quidquam decreturum. Addit, quod ſi in Accona ſerperet hæreſis, maiori vi eradicãda planta lethalis, radix peſtifera, quàm efficere poſſent propriæ vires contra tot viros, & nobiliſſimum Anteſignanum. Precatur, proſpiceret vexatæ Italiæ lacrymis, ſemidirutæ Eccleſiæ gemitibus, ait, pœnitentiam illam Eremitarum fictam, vmbratilẽ eſſe poſſe. Quot tumultus, quot rixas, quot calamitates, quot proditiones frons blanda, vel pœnitentia pallida quandoquè non ipſa celauit, & tandem cõceptum virus in Prouinciarum, Regnorumq; irreparabile prorupit excidiũ? Timebat Quiſitor, nec ſciebat, quid timeret, venerabatur nomen Bernardi, & Eremi famam, ſed quis ſcit, aiebat, quò verget illud in deſerto tantæ auſteritatis pondus? Circumuallantur hoc tempore omnes penè Italiæ vrbes horrentibus errorum vorticibus, circumſtrepunt blaſphemiæ, tunditur fluctibus petra illa Eccleſiæ, quam ſuo ſanguine fundauit Chriſtus, abſit, quòd inter ſcopulos, & ſyrtes infidelitatis, Eccleſiæ nauis frangatur, abſorbeatur, & pereat. Quis ſcit, ſi latent angues in herbis illius ſolitudinis? Tardiora remedia in ipſum morbum quandoquè conuertun-

tur.

tur. Inceſſerat fortè Quiſitorem ſuſpicio, nè Bernardus vnus eſſet ex Fraterculorum, vel Fraticellorum ſecta; (ſic enim vulgò dicebantur,) faceſſebant enim maximum negotium exortæ paulò antè hæreſes Fraterculorum, quorum duces quidã Hermannus, & Dulcitius Nouarienſis, Innocentio V. Adriano V. & Ioanne XX. regnantibus qui Summi Pontifices eodem penè anno milleſimo ducẽteſimo ſeptuageſimo ſexto fato conceſſere. Inuehebantur hi Fraterculi in auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, & in Summos Pontifices, ſequè ſtolidè dictitabãt veros eſſe Apoſtolos, in ipſiſq; veram eſſe Eccleſiam, nulliq; eos, niſi immediatè Chriſto eſſe ſubiectos. Damnauit impia illorũ dogmata Summus Pontifex Bonifacius hoc nomine VIII. Præterea acceſſit ſecta Begardorum, & Beghinarum, cuius Princeps Bogonatus. Begardi monaſticum habitum ementiti. Beghinæ erant moniales, nulla tamẽ vota religionis emittebant, paſſimquè dicebant homines in hac vita fieri poſſe impeccabiles, nec ipſis poſſe augeri gratiam; quamobrem orationes, ieiunia, & cetera id genus, pia opera omninò irrita, & inania aſſerebant. Hinc tàm fusè Aluarus Epiſcopus Siluẽſis deplorabat illa tẽpora Eccleſiæ funeſtiſſima. Verùm ſponte ſua lux emicat, etſi tanquam ſub modio deliteſcat in valle. Splẽduit in throno illo pontificio veris radijs, & euangelicis vitæ nitoribus Bernardus, effulſere & ſocij, quidquid contrà eos fuiſſet infernus draco molitus. Suſpicio Quiſitoris, Dei fuit prouidentia, ipſe certiorem

Hæreſis Fraterculorum, qui fuerunt Duces, & quo tempore inſurrexit, & quæ eorũ ſtultitia. Cardin. Bellarm. in Chronologia.

Aluarus Epiſcopus Siluẽſis.

fecit

fecit Pontificem Maximum, vt maximus noſtri Ducis nitor, & Eremicolarum ceterorum probitas nobiliùs eluceſceret. Sol candidus purior nigra è nube emergit, nec omnis potis eſt craſſus, ac fuſcus alitus decores illos, & radios turpare fulgentes. Ne timeas quidquam mali à tenebrarum Rectore ò ſacræ Princeps Eremi Bernarde.

Auenionem contendit B. Bernardus à Pontifice Ioanne XXII. præcipientibus litteris euocatus.

CAPVT X.

AVenione in Gallia tunc temporis Summus ſedebat Pōtifex, & purpuratorum Patrum Senatus, defuncto enim Benedicto XI. Paſtore ſãctiſſimo Italo Ordinis Prædicatorum, qui vitæ nitore extitit illuſtris, ſeditquè in throno menſes ſex. Diſſentiebant de eligendo ſucceſſore, penè annum detenti in Conclaui, Cardinales. Galli enim purpura decorati Heroes Gallum efflagitabãt Sũmũ Pōtificẽ, Itali Italũ, vtraq; pars potens, æquæ vires. Vtitur ſapientiſſimus Deus ipſis noſtris cupidinibus, ardore, & diſſidijs ad ſua peragenda decreta, in hoc ſemper laudandus, euehendus, quòd vbi nobis ſatisfacere ipſi conamur, & videmur, tunc magis ei obſequium, famulatumq; præſtamus. Conuenere tandem inter ſe purpura-

Platina Sabellicus, & alij.

Quomodo tranſlata Apoſtolica ſedes Auenionem.

ti electores, vt Galli Italos Cardinales tres ſeligerent, vnuſq; eorum à Gallis eligeretur Pontifex; vel contrà, Itali tres Gallos proponerent, ex quibus vnus eſſet ſeſſurus, eligentibus Italis, in Pontificio Solio. Ab Italis ergo Patribus tres ex Gallia nominati ſunt, Gallicæ tamen coronæ infenſiſſimi. Regebat tunc Galliam Philippus cognomento Pulcher Romanam in Eccleſiam (ob turbas inter Summum Pontificem Bonifacium VIII. exortas, & ipſum) non admodum bono propenſus animo. Inter tres Gallos aſcitur Raymundus Antiſtes Burdegalis; ſtatimq; ac nomina innotuere, quàm citiſſimè à ceteris Cardinalibus Gallis fit rei certior Philippus Rex, qui ardentiſſimis litteris ad ſeſe illũ aduocat, ſtudiumq; ſuũ in poſterum teſtatur, multaq; verbo regio pollicetur, aitq; ſe in ipſum fore ſtudioſiſſimum, ſecum de ſumma rerum acturum. Nec defuere, qui Raymundo ſuaderet, vt à Philippo vocatus, eundem ſtatim adiret. Perrexit ergo ad Regem, qui properanti Antiſtiti occurrit, eumquè benignior, totuſq; fauorabilis amplectitur, exoſculatur, affirmat tandem pontificia dignitate, & tergeminā corona ſumma illa donandũ, ſi quædã ipſi promitteret Epiſcopus Burdegalis. Pollicetur Antiſtes omne ſe perfecturum quod Rex appeteret, Sacramentoq; firmauit. Extemplò Cardinalibus Gallis mittit ſecretò Rex codicillos, atq; obſecrat, vt Raymundum eligant. Eligitur ergo, licet abſens, in Summum Pontificem anno milleſimo trecenteſimo quinto, dictuſq; eſt Clemens V. Lugdu-

Clemens Quintus.

num

num ſtatim contendens iuſſit in Galliam tranſferri Principis Apoſtolorum ſolium, quod inter cetera Rex ab ipſo expetiuerat. Illuc Roma purpuratos heroes omnes Clemens acceſſit, iuſſitq; totam Curiam, magna Italiæ, & Vrbis, & Orbis pernicie, ibi eſſe. Lugduni coronatur Clemens magna pompa, quaſi triumphante Gallia, vixitq; inibi Pontifex ferè annis nouem; eiq; ſucceſſit Ioannes XXI. dictus XXII. tranſtulitq; Aueniõẽ ſedem. Auenio Vrbs Galliæ Narbonenſis eſt poſita ad Rhodanum flumen, quod ortum habet ex Alpis, Galliamq; rapidiſſimè interfluit. Hanc Vrbem Ioanna Neapolitani Regni, Galliæquè Narbonenſis Regina Clementi VI. vendidit. Manet Apoſtolicus Thronus annos ſeptuaginta ſex, Pontificibus ſucceſſiuè ſedentibus Clemente primùm V. Ioanne XXII. Benedicto II. Clemente VI. Innocentio VI. Vrbano V. Gregorio XI. Hic Romæ pontificiam ſedem reſtituit, ſuaſu etiam Seraphicæ Catharinæ Senenſis, quæ arcanum ipſius Pontificis nemini, nec per nutum patefactum, Deo reuelante, cognouit. Celerrimis triremibus, aura ſancti Spiritus flante, Gregorius vehitur, tota Gallia inſcia, tenetq; Vrbem Romã ſub annum milleſimum trecenteſimum ſexageſimum quartum ingentiſſima Vrbis lætitia. Huius rei præclariſſimum monimentum in marmore exciſum Romæ viſitur in templo Sanctæ Mariæ de Noua ſacro, quod nos Oliuetani curamus. Sic tandẽ mœſtæ, & luctu ſordidatæ Romæ, ſicq; tandem calamitas Italiæ deſijt. Creſcit præſenti hu-

Platina in vitis Pontificum.

more planta,eoq; aret abſente. Diſcat quiſquè Princeps Sedem Imperij vultu cohoneſtare ſuo. Sed redeamus ad rem. Ioãnes igitur XXII.Summus Põtifex Auenionem cauſam dicturum euocat Bernardum noſtrum, qui nulla interpoſita mora ex Hetruriæ deſerto ad Summi Paſtoris pedes, vti obſequentiſſima ouicula, aſcito ſibi ex eadem Acconenſi Eremo, comite, & ſocio Ambroſio Piccolomineo, maturat.

Scio à quibuſdam non Bernardum, ſed ſocios ab eo miſſos ad Pontificem Maximum affirmari. Nos firmioribus tamen nixi tabulis, Bernardum ipſum proculdubio iuiſſe aſſerimus; ſequimurq; ea quæ ſcripſit doctiſſimus,& fidiſsimus Ioannes Baptiſta de Populonia Ordinis Prædicatorum, quẽ ſequutus eſt Gregorius Lombardellus eiuſdem familiæ,ſacræ Theologiæ Magiſter,vir celeberrimus,& Sancti Officij in vniuerſa ditione Senenſi Quiſitor. Sed Ioannes Baptiſta Populonẽſis coœtaneus extitit Beato Bernardo,& oculatiſsimus teſtis, & pro eiuſdem Sancti Officij munere noſtri Patris vitæ, morumq; ſcrutator acerrimus. Accedit,quòd ſub eadem Patris noſtri Bernardi ſeueriori diſciplina erat eius frater, cui nomen Gulielmus. Neq; ſimile vero eſt Bernardum vti nouæ caput ſectæ poſtulatum, accitumq; à Beatiſsimo Patre alios ſuo loco, tãquam Eremi membra deſtinauiſſe. Nec conſtat virum graui aliqua præpeditũ cura,aut viribus detẽtum imbecillis, aut graueſcente ætate ineptum itineri. Adde illum in diluendis ſibi obiectis ad Pon-

Ioan.Bapt.de Populonia. Greg. Lombard. in vita B.Ber. lib.2. cap.20.

tifi-

tificium thronum, alterius non indigum miniſterij,atq; operis. Quod verò aſſeritur,ne eius diſceſſu, qui in Eremo remanerent, triſtarentur orbati tanto Parente;aut quaſi oues,Paſtore abſente,Luporum Dæmonum inſidijs latiùs paterent. Nam in deſerto non deerant viri & prudentia,& probitate inſignes, quos in ſuum locum Bernardus ſufficeret. Nec æternus illius futurus erat diſceſſus, vt reditu deſperato, periclitaretur Eremus. Inſtant hi,miſſos à Bernardo Auenionem viros omni ex parte ſapientes,vitæq; integritate Spectabiles Pontificem Summum alloquuturos. Sed quorſum, ſi omnia per ſe ipſum præſtare poterat,debebat aliorum opera vti? Obijcient,nè Accona ſine rectore eſſet. Sed liquet humilem,& ſapientem Bernardum regimen reſpuiſſe, vocariq; Ducem; verùm voluit vt omnium Dux eſſet vna charitas. Deniq; vt dicemus cùm regulam Sancti Benedicti à Beatiſsima Virgine per Guidonem Petramalium accepiſſet Eremus,primum Generalem Abbatem extitiſſe conſtat (renuente dignitatem illam Bernardo) Patritium de Patritijs; hæc autem electio fuit omnium Eremicolarum, vel Cænobitarum, ex quo clarè patet Beatum Bernardum ſibi ſemper conſimilem alijs in deſerto noluiſſe imperare. Cur ergò ad itinera, aliaq; peragenda grauia munia,ad ea quæ ad ipsũ peculiari iure ſpectabant, alios deſtinet,quæ etiã maximam arguebant authoritatem? Tandem quia etiam multa admiratione digna in hoc ad Galliam itinere edidit noſter Pater, quæ in ijſdẽ

tabulis

tabulis exarata habentur, quibus procul dubio ſtandũ. Proficiſcitur ergò Bernardus ex Accona pannoſus, pungẽti cilicio grauatus, abſq; pedum tegmine, non alia inſtructus ad iter diuite ſarcina, quàm crucifixi Ieſu lignea cruce è latere, Virginiſq; Matris roſario è collo pendentibus; baculo humili cui innitebatur; & faſciculo vbi pia opuſcula cum breuiario, & horario libello eiuſdem Virginis; & aſperi linteoli ad ſudorem tergẽdum condebatur. Diſcedit igitur deoſculatus Fratres pacis oſculo, emiſſis lacrymis; gregemq; tuẽdum Chriſto, Deiparæ, & Patritio de Patritijs commendauit. Multa, & grauia tolerat tàm graui, & longo itinere noſter Beatus; in viam etenim ſe dedit horridioris temporis anno, menſe nempe Decembri ipſe, & Ambroſius Piccolomineus. Inter populares turbas, per valles, & montes hæc illi ſunt ſola leuamina, & ſolatia, inceſſanti prece in Deum ſe leuare, frequenti oratione cuſtodem Angelum, Cælites omnes, & ſibi peculiares Patronos aduocare comites, nunc ſacra, & immota mentis eleuatione, meditatione, nunc vocalibus precibus ſanctiſſimæ Triadis vnioni aſpirare. Victum tenuem eleemoſynis emendicare, ſomno humi ſtratus paululùm indulgere. Vos Beato noſtro Duci, vos teſtes Superi, & feliciores ſocij, & leuamẽ omne illi eratis. Sæpè inuidus fecit malus Dæmon, permittente Deo, vt Bernardus, & Ambroſius è via aberrarent in ſolitudinibus, in nemoribus, & ſiluis, vt à pagis, & vrbibus longè facti vel frigore, vel fame perirent, vel à feris de-

Greg. Lomb. lib. 2. in vita B. Bern. cap. 21.

uorarentur. Sed ecce cæleſtes Angeli humanam præſeferentes imaginem, panem in deſerto ſumminiſtrabant cùm deeſſent herbæ, vel olerum radices. Eorumdem miniſterio redduntur cicures pluries ipſæ feræ,& ſine toxico venenati ſerpentes; interdum ab ijſdem adiuuantur in fluminum diſcriminibus, aliquando errabundi in viam reducuntur.

Angelos habet Comites in viarum diſcriminibus B. Ber.

Orant interim in Acconenſi Eremo ſocij impenſiùs, gemitibus lacrymantur, charitatis ardētioribus feruent ſuſpirijs; & licet ieiunijs ſe ipſos iugiter ſancti Eremicolæ macerabant, nunc conſueto ieiunio addūt durius, ac aſperius, flagorum ictibus recalent; reſonat ſonus, & flagor ille religioſus pientiſſimis Dei auribus. Solliciti ſunt cūcti pro Bernardo iter ingreſſo longiſſimum, innumeris refertum diſcriminibus. Ipſe Auenionem tandem conſequutus fama notiſſimus ad Pontificem Summum ſtatuit ſeſe alacri animo, illius iudicio ſubiturū; ad quē ingreſſus (flexo terrę poplite gemino) Sāctiſſimos oboſculatur pedes humillimè, dataq; fādi copia. Ad tui (inquit) Beatiſſime Pater, Imperij, quo nullum in terris maius, nutum ex Acconę Eremo euocatus, hic adſum indignus vermis, non homo, peccatorum omnium miſerrimus, dignus tamen nunc effectus, qui veneratione proſequar tua largitate, tuorum veneranda pedum veſtigia. Ecce, Summe omnium Paſtor, vna ex innumeris Catholici tui gregis ouiculis obſequentiſſima tuis paritura mandatis, Bernardus pœnitentiæ tantùm egentiſsimus. Humi-

B. Bernar. ad pedes Summi Pōtificis.

liter,& breui facundia diſſeruit de ſui conuerſione, de mundi rebus abdicatis, de ſeceſſu in Eremum, de ſociorum vita,& moribus, de orthodoxa fide,quam vnà cum Acconenſibus eremicolis ſocijs profitebatur.

Vix in Bernardum Pontifex Maximus iniecerat oculos, cùm in eius horrida, & incompoſita coma, vultuq; circumfuſo pallore quid Angelici fulgoris deprehendit, & tanquam Dei intùs tonante voce in hæc Chriſti Vicarius verba deuenit. Non nobis vilia tua,& ſociorum in Acconæ Eremo opera, candidi mores, impolluta fides. Eſto tu vnà cum tuis ſocijs deſerti loci viror, & decor: reuireſcant per vos floridæ quondam,fœtæq; ſanctiſsimis viris italæ Eremi.Reſtituatur decus Carmeli,& Saron, & gloria Libani.Sit ſqualens Italia reſtitutæ monaſticæ diſciplinæ lætiſsima ſpectatrix. Te duce,omnia in deſerto Acconenſi benè ceſſura ſperamus. Poteris tu nunc viua eſſe regula, & exemplar bonorum operum, & forma gregis exiſtere. Sed te vita functo quid de tuis ſocijs ſine aliqua regula, ſine aliquo inſtituto? Forte errabundus peribit grex ſinè lege, ſinè regulari diſciplina palabitur?Erunt tot ſententiæ, quot capita.Frendent in illis vallibus tartarei Lupi. Inuadent rapaces ſine Paſtore ouile. Exterminabunt Dæmones, apri furentes vineam Sabaoth;ſit vna omnium ouium teſſera. Cùm bellum intentauerint Tartareæ turmæ, irruite fortes cuncti vnanimes in exercitus vnico ſub vexillo ſalutis. Certate alacriter,fugate,diſperdite,

Ioann.21. alloquitur B. Bernardum.

Iſai.33.

1.Petri 3.

Pſal.79.

vinci-

vincite;ordo magis,quàm numerus de hoſte triũphat.Non ex inſtitutoris ſpiritus feruore metiẽdus eſt ceterorum feruor,& ſpiritus. Viget cęleſtis ardor magis in capite, quàm in membris. Sublimiori radiorum iubare voluit ſapientiſſimus opifex fulgeret Sol, quàm cetera Cæli aſtra ex eodẽ Sole ſuos ſuſceptura fulgores. Tu Bernarde,qui humillimè ad noſtros feſtinauiſti pedes,iuſſis obtemperato noſtris. Eremum quam tu,& ſocij tui colitis,eſſe ſub Diœceſi Arretina audiuimus; Arretij ergo Antiſtiti noſtras dato litteras, quibus illi mãdamus,vt te,prout Spiritus ſanctus decreuerit,& docuerit,alicui regulari,ꝓbatoq; inſtituto ſubijciat vnà cũ Acconẽſibus Eremitis. Interim pro hac sãcta Sede,Petriq; naui inter bellorũ procellas fluctuãte,pro vexata Italia, ꝓ Orbe penè armis quaſſo rogate Deum; tãgite veſtris precibus diuina,& benigna illa viſcera. Sit vallis veſtra concluſus hortus conſitus fructiferis plantis omnigenarum virtutum. Irrigabit Deus Paradiſulum ſuum omnium torrente voluptatum. In Italiam noſtra fulcitus benedictione regreſſum felicem habeto; qua ditatus Bernardus,& cæleſtibus theſauris locuples,etiam ſocijs Eremicolis impertiendis,ingenti lætitia delibutus, irriguis vdus lacrymis, exoſculatus iterum Sanctiſſimi Paſtoris pedes diſcedit,eodemq; quo progreſſus in Galliam itinere ad Italiam,Arretiumq; maturrimè regreditur. Tolle greſſus ſerue Dei,age,cõſule multis ò Euangelice Paſtor. Iter tuum immota clauſtra pariet;tui labores ſanctas in Eremo

delicias; vade humilis, magnus eris. I nudus, Cælo tibi texitur ſtellatus gloriæ amictus, gloriæ chlamys.

Narrantur aliqua, quæ B. Bernardo ſua per itinera obuenere.

CAPVT XI.

FLagellis eorum vitam, quos diligit Deus metitur, amat enim, & corrigit; ærumnis virtus clariſſimè emicat. Follis percuſſus euolat, & quò demiſſiùs, ac fortiùs iacitur; eò altiùs eleuatur, & ſurgit. Roſas dat Numen amans auricomas, & purpureas, miſcet tamen ſentes aſperos, & feriẽtes. Suauiſſimas afflat auras ſerenitatis ſæuã poſt procellam. Ad Vrbem Auenionẽm properanti Bernardo, à qua diſtabat trium dierum itinere, Eremicola quidam obuiam fit aſpectu venerabilis, ſenio confectus, nouus Macarius, ieiunij ipſa videbatur effigies, charitatis credidiſſes imaginem, humilitatis & virtutum omnium exemplar illuſtre. Sicq; Beatum Patrem alloquitur. Et cur ad Eremum vir ſancte non refers pedem? Caue, ne Auenionem contendas, ne pergas vlterius: vbi Vrbem illam tenueris, conſumeris vltrici flamma, ſolues nõ perpetrati criminis facinoroſas pœnas. Mors te manet inibi famoſa tanquam hæreſeos reo. Ab incepto ergo deſiſtito itinere, fugam arripito quàm celerrimam. O infelix ſæculum con-

Lombard. in vita B. Bern. lib. 2. c. 22.

trà inſontes ? Teneris tu tuæ,ſociorumq; tuorum conſulere famæ. Virtutibus hæc tempora infauſta ſunt. O tempora,ò mores ? In quos probos non ſæuitum ? Quod dico à Deo reuelante percepi. His auditis, ſubticuit aliquantulum Bernardus, & ſecum mente agitat, quomodò vir nunquam anteà nec quidem de facie cognitus arrepti itineris tàm benè calleret cauſas,originem. Cogitat inſuper, quod Sanctiſſimus Pontifex ſapientiſſimi Dei cum gerat vicem in terris non niſi iuſtiſſima, ipſo inſpirante Numine, ſanciat in rebus præſertim ad ſanctiſſimam, qualis ea erat, fidem ſpectantibus. Sic tandem ait. De fide, de aſſeclis meis interrogabor, meam fidem & ſociorum Catholicæ Eccleſiæ conſonam, Apoſtolicos, vt profitemur, ſic patefaciam mores. Auenionem Summi Paſtoris iuſſu feſtino, madatis obſequar, etiam vitæ quouis periculo, ad omnium Patrem pergo pijſſimum, beatiſſimum, mortem nec timeo, nec fugio; immò amo, & inhio. Sed tu quis es, qui iſta loqueris ? Signat Beatus Bernardus interim tremendo Crucis ſigno aerem, & in fumidam ſolutus nebulam vaneſcit falſus is Eremicola, Dæmō vafer & impius, talemq; diſcedendo fœtorem emittit vt Bernardus penè exanimis in terram caderet. Hoc eunti obuenit. Reuertentem verò ex Gallia in Italiam, excepit benigno hoſpitio vir nobilis, & pius Taurini, quæ eſt Vrbs Pedemontij. Inſtigat hoſpitantis ſeruum malus Dæmon, ſuadetquè eidem, vt ſuo hero vaſcula quædam argētea ſubripiat; nè autem ipſe furti argue-

retur, inter pauperrima quædam Bernardi (tanquam innocentis Beniamini) inuolucra, argenteã paterulam recondit ex plerisq; argenteis, quæ ipſe erat furatus; moxquè hero ſuo ait multa ex argenteis deeſſe, ſuſpicariq; valdè Eremitas, quos tàm humanè exceperat, arripuiſſe, aſportaſſe. Furti certus ille prolapſus in rabiem, lictores deſtinat, qui citiſſimè pauperculos Eremitas Bernardum, Ambroſium, denudatis gladijs aſſequũtur, detinent, furtum obiectant, ad virum illum retroferunt. Explicantur patenter inuolucra, & in Bernardi ſarcinula argenteum vaſculum reperitur. Excandeſcit benignus hoſpitator; cauſa certè iuſtiſsimæ foret iræ; nec enim beneficia benè pendet latrocinium. Bernardum, Ambroſium in fœdum carcerem conijciendos iubet. Tu nè, exclamat in noſtrum Ducem vir ille, ſanctimoniam olens, bella, & arma inferno minitans, Hypocrita, vage, latro, raptu viuens? Refer citò vbi nam reliqua argentea vaſa condideris, appenderis ſçuiſſimis fidiculis; aperies malus homo quæ malè patraſti. Sic benigniſsimo meo reſpondes hoſpitio? Sic polluis hoſpitales leges? Tranquillo interim animo, & imperturbatus ignominia illa affectus reſpondet Bernardus. Tibi vir bone nil vnquam ſurripui, nec alterius furti reus ſum, ſicut neq; hic meus ſocius. Furtum Dæmone authore factum, nec me fur latet; furtum ſcio, furem, & locum vbi argentea conduntur, Deo præmonſtrante, omnia benè calleo. Verùm vnum ex te enixè efflagito, quod ſi mihi fueris pollicitus, ſubrepto-

B. Bernardus vt fur triduo in carcere detinetur.

Lombar. loco ſupra citato.

rem & ſubrepta detegam. Miratur primò hæc audiens vir nobilis, tùm inſtante Beato Patre, promittit quod petit. Subdit noſter Bernardus: ſtet coràm me ſeruulus ille, qui nos furti reos dicere eſt auſus, cui aduentanti ſic loquitur. Ego nè, dicito, furatus ſum paterulam? Ego vaſcula argentea? Nonnè tu in illo inuolucro tali hora, tali loco abſcondiſti quæ tu ipſe furatus es? Pete, pete veniã, parcet tibi Deus, fili mi, reſipiſce & ablata hero redde tuo, nam ipſe pius, meis precibus, tibi libenter ignoſcet. Ille algens ſimul, & æſtuans ruboreq; perfuſus, deiectis in terram oculis ſe ipſum furem fatur, tentatum dicit à Dæmone, petitq; amaris lacrymis humillimè veniam ad pedes prouolutus Bernardi, & ſui Domini. Vir ille ingenuus, cognita Bernardi innocentia, in genua procumbit, orat, & obteſtatur vt ſibi nimis credulo parcat, Beatiq; noſtri Patris ſanctimoniam admiratus, paulò poſt ſua omnia vendidit, & ad ſacram perrexit Acconẽſem Eremum Deo famulaturus; atquè indutus monaſticam veſtem dictus eſt Frater Baſilius Taurinẽſis, qui ſanctiſſimè, & primos, & dies duxit extremos. En in ſe ipſum tela videt Satan retorta validiſſimè, dumq; trucem enodat in Dei ſeruos arcum, ſeipſum ſua pungit, feritq; ſagitta. Fuere tres dies antequam eorum clareſceret innocentia in tetro carcere Beatus Pater, & Ambroſius; ſed habuere Angelos cõſolatores, qui & pellebãt è loco tenebras, & mutauere carceris miſerias in Paradiſi delicias.

B. Bernar. & ſocij habent Angelos conſolatores.

Arretium tenet Bernardus, Antiſtiti Guidoni Pontificias exhibet litteras: Triduanum indicitur ieiunium.

CAPVT XII.

TOt caſibus, rerumq; diſcriminibus in eo iactatus itinere Bernardus Arretinam Vrbem tenet tandem. Epiſcopalem Sedem regebat tum Guido Petramalius, qui fratribus ſuis noſtrā exutis mortalitatem Arretij Dominis, ipſe vnus Eccleſiaſticum, & ſæculare fuerat regimen conſequutus. Vir præſtans, Paſtor bonus, & egregius miles, diuiniq; cultus, cui alia omnia poſthabenda, ſtudioſiſſimus; Vrbis inſimul, & temporariæ dignitatis Princeps, cuſtoſq; iuſtiſſimus. Hic fugauit è Patria hoſtium militum diſtrictis gladijs agmina, verſiſq; ſignis coegit eos ſæpius ad canendum receptui. Soloq; inſurgentes aduerſantium turmas ſtrauit fortiſſimè; hic mœnibus Vrbem vndèvndè, arcibuſquè turritis muniuit, martijſq; vallauit aggeribus. Huic præſtātiſſimo Præſuli humiliter Summi Pontificis datam Epiſtolam porrexit Bernardus, qui poſt eam lectam, valdè, ait, commendatitiæ ſunt, quas mihi Auenione à Summo Pontifice defers, litteræ. Gratulor tibi de ſumma erga te Summi Paſtoris benignitate; arduum tamen, negotijq; plenum illud eſt, quod mihi Sanctiſſimus mandat, vt nimirum Te, Acco-

Guido Petramalius Epiſcopus Arretinus.

Michael Angelus Benbaueri pag. 10. in dialog. ad Oliuet. Hiſt. Oliuet. lib. 1. folio 8. & alij.

nen-

nenſemq; Eremum alicuius probatæ regulæ religioſo iugo ſubijciam. Ex nobis enim ipſis non ſumus ſufficientes, tanquam ex nobis, quid boni excogitare. A Patre luminum, lumen omne & expetendum, & feruentiſſimis ſuſpirijs expectandum. Radius ille diuinus ſolus eſt, qui caligines, mentiſq; vmbras diſcutit noſtras. Fulgor hic lacrymis inuocandus, vt optimum rerum exitum aſſequamur. Si de re vna ageretur, quod priuatim tu Bernarde expoſceres ſtatim aſſequerere; nunc vniuerſæ Acconenſi Eremo conſulendum, totq; viris, vt fama ipſa loquitur, virtute conſpicuis; his modò danda lex, inſtituta, moderamen. Maturanda ſemper de rebus publicis conſilia. Ad quæ incolitis ergò ſpelæa reuertito, ſocijſq; ea, quæ omnium Paſtor mihi exigui gregis cuſtodi de vobis præcepit ſtatuendum nunciato, meoq; nomine indictum ſit tibi, ceteriſq; Eremicolis ieiunium triduanum. Nihil enim aptius ad diuina nobis arcana aperienda ieiunio, quo diuinæ voluntatis mens noſtra fit capax. Mementote in Sinai monte poſt ieiunium datas Moyſi fuiſſe leges. Leges anteceſſit ſemper ieiunium, & exorientis mundi tempore, quo nullum datum erat præceptum, non defuit primis Parentibus vna ieiunij lex. Daniel vir deſideriorum tres hebdomadas aqua ipſa abſtinuit, ſic reuelationes poſt ieiunia accepit, & ſecretiora Numinis ſacramẽta dignouit. Prodeunt de ieiunio ſanctæ cogitationes, rationabiles virtutes, conſilia ſaluberrima; ieiunio roboratur mens, alitur anima, eòq; ipſa velociùs eleuatur,

2. Corinth. 3.

Iacobi 1.

Exod. 34.

Prima omnium lata lex de ieiunio.

Daniel. 1.

Ieiunij laudes.

quò

quò magis per illud à terra ſenſuquè abſtrahitur; pennas quippè producit ieiunium, quibus in ſublime noſtra mens effertur contemplatura quæ Dei ſit voluntas. Torpeſcit cibo vigor mentis. Elia ieiunãs quadraginta dies, totidemq; noctes arido ore ad montem Dei Horeb peruenit, familiariq; cõgreſſu à Creatore excipitur, & à ieiunio ſpirituales oculos obtinet. Aequatur ieiunantis mens Deo qui ſine cibo viuit. Ieiunat in deſerto Ioannes ille Baptiſta, ſibiq; parat alas, quibus cõſcendens ad Cælũ redditur penè homo diuinus. Obruuntur noſtræ mentes, non ſecus ac naues oneribus graues, ciborum ponderibus. Inſtituturus Apoſtolicum collegium Dei ſapientia Chriſtus Dominus ieiunauit. Vos Chriſti famuli pœnitentes Eremitæ peculiaribus ieiunijs in re tam graui date operam. Additote inſuper ieiunio ſanctas preces. Ex ieiunio, & oratione virtutes prodeunt omnes. Oratio viuendi norma recta eſt. Oratione quaſi vim ipſi Deo inferimus, ipſumq; vincimus, ita vt quod petimus elargiatur, reddimurq; illa dignum Numinis templum, Deumq; in nobis ipſis exaudientem experimur. Sit prolixa oratio, qua rem tam arduam quærimus. Aperiat Deus quod veſtræ omnium ſaluti magis conſonum. Ego pro mei muneris vice veſtris operibus pijs meas quaſcumq; addam humiles preces, vt mihi oſtendat Pater pietatis quid de vobis decreuerit. His auditis, acceptiſq; mandatis, diſceſſum habet Bernardus, atq; ad Eremum feſtinanter maturat, nec cibos vnquam in ſæculo libarat dul-

3. Reg. 19.

Lucæ 7.

Matth. 4.

ciores ſupra huiuſmodi eloquia. Iuſſus eſt quod ardet.

Reducem Bernardum lætanter accipiunt Acconenſes Eremicolæ, quibus ipſe omnia aperit, quæ Summus Pontifex, & Arretinus Antiſtes decreuere, cuius nomine ieiunium, & orationem denunciat.

CAPVT XIII.

NEquit ſacræ Eremi lætitia, ex B. Bernardi reditu ſatis explicari. Iam nullus horror Acconæ, ſed magnus decor ineſt. Vmbræ ibi nullæ, ſed lumen. Iam non Ruſticorum ſaltus, ſed hortus deliciarum creditur Beatorum. Geſtiunt rupes, ſpecus, antra lætè horrida; collectiquè in vnum cuncti heremitæ Deo immenſas præcinentes laudes reuertenti Bernardo fiunt hilares obuij, & ad eius venerabiles prouoluti pedes viciſſim exoſculantur ſacras veſtes, præclaraſq; amantis, amatiq; Patris manus, vbertimq; fundunt gaudio delibuti dulces lacrymas. Ipſe quoq; in fletū effuſus tenerrimū, obſeq̄ntibus amplexus reddidit ardētiores, fouebat quos Deo genuerat humaniſſimè ad pectus; figebat frōtibus Apoſtolicæ pacis oſcula, peractiſq; de more precibus, ſic ſuos alloquitur filios, & ſocios; nec hominem diuina ea cū voce videbatur ſonare Bernardus. Dilectiſsimi

B. Ber. ſocios alloquitur.

Deo innumeras gratias impendamus enixiores, cantemus laudes, ſuſpiria iterantes. Diſceſſi; & vos ignito amoris ſēſu Numini cōmēdatos reliqui. In Galliam cæleſti auxilio iter ſollicitus habui; ſollicitus inquam de veſtra ſalutę; amo enim vos mihi in Deo genitos; reditum alacriorem nunc communi gaudio dulciter experior; à Summo omnium Patre Beatiſſimo benignè exceptus fui, de obiectæ nobis hæreſeos ſorde, ne verbum quidem Chriſti Vicarius protulit; noluit enim Deus tantæ labis, cùm inſontes ſimus, murmur aliquo pacto ſubaudiretur. Sumus, & erimus, ò Fratres, ò ſocij, ſemper parati pro Eccleſia Catholica Ieſu irrigua, & ditata ſanguine, pro Apoſtolica Sede, pro fide, pretioſiſſimo Dei dono millies, ſi opus eſſet, centenas in vndas è venis vitam diffundere; exundaret hæc vallis noſtro cruore. O ſi per mare tàm glorioſum ac voluptarium daretur ad Beatiſſimæ portum, littuſq; ęternitatis appellere. Sanctiſſimus Paſtor, etſi nullius in nos criminis, Dei munere, extitit cenſor, mandauit tamen, vt ſub aliquo inſtituto à ſummo illo veritatis approbato ſolio viuamus; & regula, quā vos à me efflagitaſtis ſæpius, ipſeque dare renui imbecillitatis, & tenuitatis meæ optimè cōſcius, dabitur vobis, & mihi à noſtro Arretino Antiſtite, ad quem idem Chriſti Vicarius benigniſſimas per me litteras deſtinauit, cui iam illas exhibui humillimè. Verùm in re tàm graui, in qua de omnium noſtrum, & eorum, qui nos in hac veneranda valle ſequi voluerint, ſalus agatur, prudenter

plu-

plurimi conſilij Arretinus Præſul decreuit, vt, implorato Dei auxilio, & lumine, quo ſine nihil bonum ſtatui poteſt, indicat ſibi quiſq; triduanum ieiunium, & peculiares orationes; ſic etenim ſperat ſibi diuini Spiritus lucem afflaturam, ſeq; cogniturum quid de nobis decernendum ſit. Vos ergo dilectiſſimi additote ſuetis veſtris ieiunijs noua aſperiora ieiunia; ieiunet in re tam ardua ipſum ieiunium. Pertingite veſtris ſuſpirijs, veſtriſquè lacrymis ſidera, & precibus feruentiſſimis; pulſate pientiſſima Dei, eiuſq; Matris viſcera, denudate humeros, reſonentquè cæleſti in aula veſtrorum flagorum religioſi ictus. Deſinant triduo opera cetera manuum, exceptoquè tempore exiguo leuamini dato, totum reliquum vni Deo ſacrum in ieiunio, vigilijs, orationibus, precibus, pſalmodijs, corporiſquè afflictationibus impendatur. Mementote Eliæ orantis, cuius lingua facta eſt Cæli clauis; iubet enim illud claudi, & clauditur; orat poſtmodum & aperitur. Eremi incolæ intoleranti mora expectabant talium verborum finem; ardebant enim ociſſimè exequi quod ſacer indixerat Antiſtes. Nihil difficile militi ſub Duce forti & operante; alacre feruet opus Anteſignani exemplo. Ipſe igitur optimus Princeps Bernardus quæ mandarat primus aggreditur, atquè illo triduo ab omni cibo, ac potu abſtinuit; tantoquè ardore in ſacras preces profudere ſe omnes vt Acconenſem vallem non militantis Eccleſiæ, ſed triumphantis beatiſſimæ pacis aſylumglorioſiſſimum appellaſſes.

3. Reg. 17.

B. Bern. ante receptam regulã triduo ieiunat.

Beatiſſima Virgo Mater in ſomnis Arretinum Antiſtitem admonet quid de B. Bernardo, & de Acconenſibus Eremitis ipſa ſtatuerit.

CAPVT XIV.

Hiſt. Oliuet. lib. 1. pag. 9. Michael Ang. Bonbauert. in dial. ad Nuperos Oliuetanos fol 10. Greg. Lomb. lib. 2. c. 26. in vita B. Bern. & alij multi.

PEractis triduano ieiunio, & inſueta carnis afflictione, effuſiſquè pro exoriente noua Eccleſiæ ſobole ſupplicibus precibus, & ſuſpirijs, nouiſſima ea nocte, ò mirum! Ecce Dei Mater Virgo ſanctiſſima, quam mille Aligerum agmina circumſtant, apparet obdormienti leniſſimè ſacro Antiſtiti: Fulgurat diuinæ Genitricis decora frons lumine, eoquè fulgore ipſa nigreſcerent micantia ſidera, eiuſquè crinium auro cæleſti terrenum rutilans palleret aurum. Genæ placidiſſimę purpureis florent roſis, quibus candida maritantur lilia. Reliquum corpus ebur poſſidet candens. Nec ſuauiorem affluant auram pictæ cæleſtis agri areolæ, quàm qua ſpirat beatiſſima Virgo; qua amicitur veſtis ea luce albet, vt fuſcæ, & nigrantes alpinæ niues appareant. Plurimus aſſidet ore dius decor, & venuſtas; ſtellæ coronam texunt, ſtellas profert oculis, ſtellas calcat pedibus, ſtellis quoquè, ceù tantis redimita, & induta pyropis, diffulget tota. Augebant ſpeciem ſupra charites diuinæ Virginis pu-

dores.

dores. Comitatus ille Cæleſtium ſpirituum tantus, vt ſuis videretur ciuibus aula viduata Empyria. Completur ſiderea luce habitaculum, tactoquè primũ diuinitatis imperio Arretini Præſulis animo, ſic illum Cæli Regina Beatiſſima verbis affatur amiciſſimis. Ipſa, ò Guido, Bernardi protectrix, & ſoſpita: Ipſa ei cœco lumen elargita: Mihi ſacra Eremus, Acconęquè vallis. Mihi Eremitæ inter illa rupium ſepimenta, Mundi cõtemptores ſummæ ſunt curæ; Lucus ille mihi ſacer, mihi ſacra illa teſqua; mihi ſurgit hæc noua monaſtica ſoboles, antiquas cęnobiticas reſtitutura delicias, decoreſquè. Non aliam, niſi Monachorum Patriarchæ Benedicti regulam Bernardo Ptolemæo, & ſocijs eius trades. Subdent placido illi iugo ſerui mei lubẽtia colla. Exuant nunc atra mœſtitudinis indumenta, veſteſq; pullas; dabis pro mœroris pallio pallium cãdidum gaudij, & triumphi. Sit ergo Bernardi, & ceterorum, qui vallem incolunt verendam amictus albus; eritq; mei virginei nitoris, & intaminatæ puritatis in illis monimentum æternum. Notet veſtem cãdor, notetquè animum candentem patens in veſte nitor. Non vocabitur poſthac vallis illa Accona; ſed ex valle conſurget in montem, & Oliuetus Mons appellabitur ex Aſcenſionis ſupra ſidera immortalis mei Numinis, filijq; glorioſa memoria. Ipſa vero Congregatio, nouaq; Cœnobitarum progenies, dicetur ex me *Cungregatio Sanctæ Mariæ Montis Oliueti*. Ecce inſignia, quibus ipſa vtetur, quaq; noteſcet. Exporrigit Virgo ma-

B. Virgo Arretinum Antiſtitem alloquitur.

De cæcitate B Ber. & luminis cęlitus receptione agũt Authores ſupra citati, & alij omnes, qui B. Ber. vitam elucubrarũt.

num,

num, montemq; trifidum oſtendit, cuius in cacumine ſurgebat ſanguinea Crux; hinc indè vernabant virentes oleæ; manuq; dein altera candida, & virginea albiſſimas profert veſtes, quas iuſſit Bernardum, ſocioſq; induendos. Quibus dictis, quibus oſtenſis, ſua occluſa Virgo nitida luce extemplò euanuit, habilem tamen reliquit ſuauitatis, & diuini vigoris ſenſum. Euigilat ſtupidus, & venerabūdus Guido: Repēdit tacita mēte quę viderit, quæ dixerit, quæ Virgo oſtēderit; viſa, dicta, oſtenſa omnia attonitè volutat, piaquè Antiſtes delibutus ſupera voluptate, ſupinis manibus, lacrymiſquè fluctibus agit Cælitum Reginæ gratias humillimas, quòd ipſum ſeruulum inuiſere, & alloqui fuiſſet dignata; cœpitq; de Bernardo, & de ſocijs Eremicolis (licet alta de illis percrebuerat ſanctimoniæ fama) altiùs, & ſanctiùs cogitare. Sint ſemper præ noſtris oculis tanta hæc prodigia, non obliuioni dentur candida data veſtis, Virgineæ, putæq; tradētes manus; non montes, non crux, non oleæ, non Olιueti montis præclariſſimum nomen; Tuquè Virgo clemētiſſima, quæ pia dextera inceptaſti, eadem ſerua, & perfice potentiſsima.

Guido quæ per ſomnium vidit B. Bernardo aperit, D. Benedicti regulam, candidas veſtes, & inſignia Religionis Deiparæ iuſſu tradit.

CAP. XV.

LVce tantæ viſioni proximiore, Guidonis obſecuturus mandatis vnà cum Ambroſio Piccolomineo, & Patritio de Patritijs delectis in Eremo ſocijs, Arretium nudis pedibus contendit Bernardus. Effulgebant in horum oculis mirum in modum charitas, & claritas propè cæleſtis; quos ſtatim ac vidit ſacer Antiſtes, ſtupuit; & in Bernardum amplexibus corruit ſanctè violentus. Sit tecum, exclamat, Bernarde benedicte, sẽper Deus, ſemper Virgo, quibus ſic vnà cũ tuis in Eremo degentibus ſocijs es dilectus, & carus. Nihil mihi, nihil amplius tibi de inſtituto, de regula excogitandum, nihil de veſte, nihil de nomine; quid amplius? Nihil de ipſis inſignibus, quibus Cœtus ſacer dignoſcendus, & cohoneſtandus. Omnia decreuit Virgo Mater Beatiſſima. Vidi ego ipſe per quietem in ſummo noctis ſilentio, ò me felicem! Vidi Deiparam, præcepitquè mihi indigniſſimo ſeruulo, vt vobis cuſtodiẽdã exhibeã Diui Benedicti regulã, cuius ſub vexillo ineunda tibi, & tuis Cõmilitonibus glorioſa

mili-

militia. Nomen loci non amplius Accona, ſed Oliuetum. Veſtri ordinis inſignia, tres erunt mõtes, ſeu potius mons trifidus, candiduſquè, medio in cuius iugo Crux figurabitur ſanguinea; hinc inde viridantes vernabunt Oliuæ. Perpenditæ, quęſo, quàm magna, quàm plena myſterijs, quàm ſint omnia referta beneficijs. Non tu Bernarde nouæ huius familię, nouiquè ordinis author, ſed verè Deipara Virgo prima fundatrix. Recolite, ſub quo militetis parente Benedicto ſcilicet, cuius ſub vexillo tot Imperatores, tot Reges, calcatis coronis, poſthabitis ſceptris, deuictoquè Mundo, deſerta Deo ſeruituri petiere loca: ſub quo tot Pontifices ſummi, tot ſapientes, tot Principes, tot Duces, tot milites, tot heroes, Infulæ. Tiarę floruerunt. Vos vetuſtam diſciplinam edaci tempore collapſam veſtris moribus reſtituite, Deponite in lætitiæ ſignum pullas has veſtes lugubres; Conuertit enim Deipara luctum veſtrum in gaudium. Sint ſemper candida indumenta veſtra, externęquè albedini cõſonet interior animi nitor ergà puriſſimam eam Deiparam. Inexpletum ſit veſtrum omnium ſtudium, & veſtra in Chriſto progenies, illi ſacra, ſuo de nomine eſt appellanda. *Congregatio Sanctæ Mariæ Montis Olиueti*. Sit vobis triceps mons iſte Sanctiſsimę Triadis imago, & altiſſimę ſpeculum contemplationis. Aſcendite in montẽ Euangelizãtes Sion magis operibus, quam verbis; nunquam vocibus ſunt præclara facinora deſtituta; & ſi multoties operibus verba careãt.

Prima Fundatrix, & Auctrix Cõgreg. Montis Oliueti fuit B. Virgo, à qua habuit ipſa nomen, habitum, ſtēma, & regulam.

Hier. 31.

Eccleſ. 9.

Benedictinæ Religionis ſectatores, & filij præclariſsimi.

Iſai. 40.

Sit in ſaxei montis albedine,candida,& incorrupta fides noſtra,in quā portæ Inferi nūquam præualeant. Cogitate fratres chariſſimi,ex Oliueto Monte expanſis manibus ad cæleſtia regna euolantem triumphis onuſtum Seruatorem Ieſum, qui ſuæ paſſionis vulnera, etiam aſcendens ſuper ſidera, reportauit innuens porrò non niſi per ærumnas, & corporis afflictationes dandam nobis æternam cæli felicitatem; & ſi plagæ nobis non dantur, exhibetur in monte cruenta Crux, vbi veſtræ manus,veſtri pedes,& pectora affixa ſint confoſſo Chriſto;ſi enim compatiemini,conglorificabimini; ſi eritis conformes paſsioni eius, eritis & gloriæ; & vt intelligatis magis in cruce quieſcere Dei ſeruum,quàm in pluma ſectatorem Mundi, inſpicite in veſtro ſtemmate vallatam crucem virentibus oleis,quæ certè Chriſti pacē nunciant,Chriſti quidē,qui cuncta quæ in Cælis, quæuè in terris ſunt,dulciſsimè ſerenat. Sit Crux veſtrum vexillum,præferte in hoſtes omni labaro auguſtius.Erit mons veſter,auſpice Virgine,mōs pinguis,mons coagulatus,mons,in quo beneplacitum erit Deo habitare. Regum mammillis lactabimini, & nutrices veſtræ, iuxta Iſaiæ vaticinium,Reginæ ſublimes erunt.Manabit veſtra vallis lacte,& melle. Stillabunt montes dulcedinem diuini ſolaminis.Vernabunt flores virtutum.Pardus accubabit cum hædo, nullæ feræ nocebunt. Deſertæ,& inuiæ veſtræ ſolitudini gloria Libani dabitur,decor Carmeli,& Saron.In terra ſitienti riui,& fontes aquarum erumpent. In veſtra ger-

Rom. 8.

Pſal. 67.

Iſai. 60.

Ierem. 11.

Amos 9.

Iſai. 11.

Iſai. 35.

Iſai. 32.

minabit Eremo cedrus, myrtus, & lignum oliuæ. Interea Deo gratias agamus innumeras, eiuſquè Virgini Matri; mihi verò craſtino Sole hoſtiam oblaturo diuinã, vobiſquè quæ Beatiſsima Virgo exhibuit daturo, adeſtote. Anno igitur à Virgineo partu milleſimo treceteſimo decimo nono, è diſceſſu Bernardi à ſæculo ad Eremũ ſexto; die ante Kalendas Aprilis ſeptimo, hebdomada ſecunda, in æde ſacroſanctæ Trinitatis, tota penè ſpectante Arretina Vrbe, Antiſtes ſolemni ritu infulatus litauit, peractoquè incruento corporis, & ſanguinis Chriſti ſacrificio, præcibatis, paſtiſquè diuino tritico Bernardo, Ambroſio, & Patritio, veſtem candidam coram imagine Chriſti Cruci affixi, quæ vſq; hodiè cernitur, & religioſiſsimè colitur, dat idem ſacer Antiſtes Arretinus induendam. Nequè elapſa horulæ mora, flexis genibus vota iuxta Sancti Benedicti regulam profitentur. Lacrimabatur penè tota Ciuitas tanto prodigiorum aſpectu; fletus, vt profuſus, ſic ſuauis omnibus; dies illuxit præ ceteris ſerenior, ipſe gaudẽs phœbus Lucifer inter homines mortales nitores immortales albeſcere ſuos. Addit, traditis veſtibus, pias preces, & feruida cõmiſcet Pręſul colloquia, quæ ad inſtituti obſeruantiam pertinebant. Bernardus verò, Ambroſius, & Patritius (quibus iam cæſaries, & luxurians coma reciſa, & ad cutem detõſa, glorioſæ ſeruitutis teſſera, monaſtico more) repẽdebãt, quę fuerat Virgo mirè operata. Gratiæ ſiqdẽ, & diuini fauores sãctis hominibus noui, & acriores ad benè operãdum ſtimuli sũt.

Iſai. 42.

Quo tempore B. Ber. monaſtica fuerit veſte indutus.

B. Bern. Ambroſius, & Patritius profitentur poſt acceptũ monaſticũ habitum regulam Sanctiſſimi Patris Benedicti.

Priuilegium B. Bernardo, & ſocijs conceditur extruendi templum, & vitam inſtituendi cœnobiticam.

CAPVT XVI.

MOnaſtico habitu indutis B. Bernardo, eiuſquè ſocijs, Antiſtes Guido his verbis amicis affatur. Fratres aſpiret vobis Regina, & Imperatrix Cælorum Maria Virgo, quæ à vobis eſt. Lætamini in Domino, triumphate, & ſanctis operibus dehinc feruentiùs operam nauate. Sanctiſſimæ Deiparæ oraculo conſurgit hæc noua Monachorum ſoboles. In honorem eiuſdem ſemper Virginis datur à me tibi Bernarde facultas & erigendi templũ, & cœnobium extruẽdi ſub regula Beati Patris Benedicti. Monaſticam obſeruãtiam inſtitue, & ceteros ſub eadem regula victuros recipe, & monaſtico habitu indue: conceſſitquè bonus Paſtor vt Monachorum nullus poſtmodũ ſæcularis fori, vel vectigalibus, vel collectis foret obnoxius. Annuit etiam vt Abbates, & Monachi poſſent in ijs conſtitutiones facere, quæ ſpectarẽt ad ipſam rem cœnobiticam benè gerendam, iuxtà tamen Diui Benedicti mentem, & regulam. Priuilegium à Guidone Petramalio Pontificio nomine conceſſum Oliuetanis, fuſiùs in hiſtoria Oliuetana habetur primo libro. Hæc Duci, Patriq; noſtro Beato Eremitæ obuenerunt, vmbras

Guido Antiſtes Arretinus B. Ber. & ſocios alloquitur.

inter, & antra,& ſolitudines. Expertus ipſe vmbras fulgentes,ſolitudines frequētatas,horrores floridos,felices cauernas,ſpelæa beata. Nihil aūt mirum:nulla hæc propè ſunt Deo in ſanctis viris. Quæ fiūt exeunt ab Omnipotēti dextera, cui obſequentiſſimus ſemper honor, & gloria immenſa per æternitatem.

Libri Secundi Finis.

BEATI BERNARDI PTOLEMAEI SENENSIS VITAE

Liber Tertius.

B.BERNARDVS COENOBITA.

B.Bernardus Diui Benedicti regulam ab Aretino Antiſtite Guidone Petramalio iuſſu Deiparæ acceptam, fratribus exhibet obſeruandam.

CAPVT I.

CAndido amictu, habituq; cœnobitico indutus Bernardus (ad Vallem,an ad Montem dixerim? Vtrumq; dicam,ad vallem ſiquidem ſi poſitum,ſitumquè inſpexeris;& quidem profundam,horridiſquè marginatam rupibus; ſi verò à Matre Virgine inditum eidem valli nomen rependas,

Mõtem dices Oliuiferum, inclytum, excelſum, ex quo mens ſupra ipſa ſe faſtigiat ſublimia ſidera. Ad Montem Oliuetum reuertitur cœnobita Bernardus benigniſſimo omnium plauſu exceptus. Obſcuris adoperti tegumentis Eremitæ ſocij circumfuſi admirabundi fiunt diuinas laudes præcinentes Beato Patri obuij, corruuntq; certatim hinc indè ad manus, ad veſtium fimbrias humillimis oſculis reuerenter. Singulos ipſe circumſpectos, ſacraquè benedictione donatos, ſic inter Patritium, & Ambroſium alloquitur. O Fratres, ò in Dominò filij ò hàc in ſolitudine tot, tantaq; Dæmonum aſtu perpeſſi Commilitones, & mei ſocij; iam mira perfecit Deus; iam ſeruos ſuos ſolatus, iam exauditæ noſtræ omnium preces, & gemitus. Quam me indutum aſpicitis candẽtem veſtem, lætitiæ argumentum, candidiſſima Virgo Deipara mihi per Arretinum Antiſtitem tradidit, & huiuſmodi indumẽtum à me vos omnes, eadem mandante Cælorum Regina, ſpiritu puriori induemini. Quidquid per quietem viderit Guido Petramalius, cuius ſub vexillo, ac teſſera ſit inferẽdũ inferis bellũ, quo nomine, q̃bus inſignibus vtendũ ex ordine recẽſet. Cæleſtes fauores contemplatur Bernardus, meditantur & ceteri. Iam patet, & clarè innoteſcit Beato Patri ſomnium, quod à Fuluia eius Genitrice pijſſimà de Cycno acceperat candidiſſimo; de neglectis Matris vberibus, ac blanditijs, de virentis Oleæ diſcerpto ramulo, de ſublimi, & pernici ad cæleſtes orbes volatu. Iam omnes vnà cum Beato Pa-

B. Ber. Cœnobita ad Eremicolas ſermonẽ habet.

Greg. Lomb. in vita B. Bern. lib. 1. c. 2.

tre ſcalas illas argenteas ab ima Valle ad Cæli apicem vſquè porrectas, ſibi,ſocijſq; monſtratas, Ieſum Virginemq; Matrem albis in veſtibus, Cœnobitarum aſcenſum candidis indutorum amictibus per eaſdē, Angelico comitatu, iterum pia mente reuoluunt, ruminantur, ſtupent. Quiſquè ſummiſſa voce, crebro gemitu, interruptis ſuſpirijs, pulſato ſæpius manu pectore, gratias agit ardentiſſimas. Mirantur cuncti quàm benè cohæreant omnia, quàm inter ſeſe ſint congrua; quàm conſona, & quàm denique ordinata, iuxtà Pauli Apoſtoli oraculum, vniuerſa, quæ à Numine sūt. *Rom. 13.* Miſcet mendacia innumera fallax ſæculum, mōſtrat honores, & infert ignominias; gloriam oſtētat præclaram, & atras iniungit iniurias; pollicetur pompas, & parat miſerias. Eſt vera dicens Deus dulcedinem promittit, dulcedinem experieris affluentem. A largiſſimo benignitatis fonte omne bonum hauries. Iam Acconenſes Eremicolæ euadunt cœnobitæ illuſtriori inſigniti nomine Deiparæ Matris Virginis Montis Olíueti, depoſitis luctuoſis, & obſcuris veſtibus; nouis, & càndidis amiciuntur, puriorem ipſi vitam enixiùs profeſſuri. Beatus Bernardus gratiarum actiones ſine intermiſſione præmittit; regulamquè Monachorum Patriarchæ Diui Benedicti exhibet, admonetquè, quot illuſtres Viri ſub tanto Parente, & pio ſacrarum legum latore, Chriſto Ieſu militauere, glorioſiores exiſtimantes ſeſe in pauperrimis Benedicti ſeptis, quàm in Regnorum auguſtioribus thronis, lætiores in arctiſſima, & humil-

lima cellula, quàm in auro fulgidis aulis, ſplendidiores in vili ſpeçò, vel tuguriolo, quàm faſtigioſis in turribus: Nobiliores in ruſticis ligonibus, quàm in Regijs ſceptris; molliores in villoſo cilicio, quàm in tenuiſſimo byſſo. Amplificat Beatus Pater religionē tanti Cœnobiarchæ ex tot coronis, & infulis ex tot Sūmis Pōtificibus, quibus illa diues, qui tot annos agitatam inter varios fluctus Petri nauiculā curſu feliciſſimo direxere. Euehit ex tot Doctoribus, & eruditiſſimis viris, qui inſcitiæ diſiectis caliginoſis tenebris, veræ, germanæquè ſapientiæ fulgores toti orbi honorificè innexere, & nunc cæleſti in regia, tanquā lucidiſſimi Soles clariſſimè effulgent. Extollit ex tot Mundi contemptoribus, quos nūc Mundus ipſe ſanctos admirabundus veneratur, factos iam ſpectacula Dei ex alto intuentis, nunc ſpectacula Mundi obſtupeſcentis. Nolimus, aiebat Beatus Bernardus, ò ſocij; ò filij feraciſſimo in agro, totquè inter fructiferas arbores trunci eſſe ſilueſtres, ramuli ſterileſcentes. Iam ex Oleaſtris inſerti ſumus præpotenti Virginis dextera in bonam oli- *Rom. 11.*
uam. Habet miram Virginea manus vim, virtutemquè ad virentes oleas fecundandas. Manus illæ pudicæ virorem ſeruant incorruptum, æternum. Tantæ Virginis afflatus, & tutela inuiolatū noſtrum omnium ſeruabit decorem. Ex harum veſtium albedine, ad integerrimum morum candorem cohortamur, & ad peculiarem erga illam Beatiſſimam puritatis Matrem nobis ſoſpitam, pietatem, religionemquè. In trifido albo monte

fides candida, in virentibus Oliuis firma ſpes; in ſanguinea cruce in cacumine montis locata diuina charitas commendatur: Charitas, inquam, qua cum Deo, & nobis omnibus, puriſſimo ſenſu, quid vnum efficiamur. Hæc charitas, hæc vnio nobis indicitur. Charitate dignoſcetur noſtra fides, ſpes noſtra; Nihil enim prodeſt nobis fides, & ſpes ſinè charitate. Efferueſcebant omnes ſuauiori amoris igne ad hæc verba Bernardi. Conclamant vnà Dei mirabilia, quæ operatus eſt, quæuè oſtendit humillimis ſeruulis ſuis. Tùm veluti in longam aciem ordine binario diſpoſiti, quam Bernardus nouiſſimo loco regebat, ad ſacellum inter Cupreſſetum Diuæ Scholaſticæ ſacrum pergunt. Diſpoſuerat Deus, cui omnia ad ſunt, cuius ſcientia æternitate ſplendeſcit, vt futurorum inſcij B. Bernardus, & ſocij maiores noſtri militaturi ſub Diuo Benedicto, ſorori Scholaſticæ aram ſtatuerent. Ibi omnes humi fuſi, præcinente Anteſignano Bernardo, Te Deum laudamus, religioſè occeperunt; diuinis laudibus reſponſant rupes, & valles ſacro murmure, gaudetquè reſonare canora Echo, quaſi cõcauis illis latitãs in ſpæleis. Cõfundũtur, commiſcẽtur quaquè ſuſpiria, voces, gemitus, lacrymę. Nemo nõ noctem illam duxit inſomnem. Cuncti nocta re in orationibus, cuncti in gratiarum actione immergi, cuncti iugi meditatione verſari inter Cælites. Sereniùs tùm fulgere ſuis pyropis, ſtelliſquè videbantur cæleſtium orbium fornices. Specus, illæq; cauernæ, hortuli iam ſunt delicia-

Oliuetanum ſtemma myſterij refertũ plurimis.

rũ, Tẽpe, ac Paradiſi tutiſſimi, quos nõ heſperius Draco, ſed Draconis domitrix Virgo cuſtodit. O felices talium vallium incolæ, nõ Reges ſic hilares in auro, gemmiſq; radiantibus Thronis, vt pauperrimi Cœnobitæ in illis furuis cauernulis verè diuites. Et tamen miſeri nos ſtruimus nobis in hiſcè Mundi mẽdacibus pompis miſerias. Cœnoſus homo, & infatuatus hæc iſta non percipit, cùm non percipiat ea, quæ Dei ſunt; etſi aliquando iſta vel corporis, vel mentis oculis videt, cogitatio volubilis auolat, euaneſcit, & in ſæculi miſerrimis laqueis, conſilij expers felicitatem locat ſuam. Iam Eremitæ nunc Cœnobitæ, fuſcis relictis mœroris exuuijs, videbantur tot Angeli in albis è Cælo dilapſi inter ſiluas vitam ducturi. O quàm felices, qui, poſthabito mendaci ſæculo, Deo inhærent! Beatos ſeipſos experiũtur in ſenſuum caſtigatione, vitæq; aſperitate. Cur nos vocitamus, quæ maiores noſtri præſtitere, difficilia, inſuauia, ardua? Mille ſunt ſapientes qui prædicant vitæ auſteritatẽ dulciſſimam. Vnus eſt Mundi ſectator inſcius, qui aſſerit aſperam, duram amaram pænitentiam. Cui credas?

1. Corinth. 2.

De

De Antiſtite conſtituendo vnà cum ſocijs agit B.Bernardus. Abbatis munus, & dotes ipſe ediſſerit.

C A P. II.

IN vnum collecti Monachi de Præſide nomine Abbatis ceteris præfecturo, nonnullis præuijs diuinæ bonitatis ſupplicibus votis, cępere agere. De B.Bernardi electione ad tantam Prouinciam obeundam quiſq; non anceps erat. Agebatur de ſummo munere; idcircò ſinguli digniſſimo Parenti, & Duci præclariſſimo exhibere inhiabant Imperium. At Beatus Pater admirabili humilitate ſemper oneri ſe imparem faſſus flecti nullo pacto poterat ad ſupremum inter illuſtres illos Cœnobitas gradum, clauumq; accipiēdum. Dictitabat enim in ſacram ſe contendiſſe Eremum, non vt imperaret, ſed vt alijs deſeruiret; quare paratus erat ipſe à Monachis eligēdo Præſidi, obtemperare. Eligerent tamen rogitabat enixè aliquem, qui ſcientia, & ſanctimonia, & regulari diſciplina reliquis præſtaret. Sit, aiebat, prudens, & vigil. Habeat peritiam, conſtantem virtutem, mores integros, euangelicam benignitatem. Recturus filios lucis, nè verſetur ipſe inter caliginoſas inſcitiæ tenebras. Arguat, obſecret, toleret, cogat, ſuadeat, fortitudinem lenitati aſſociet. Crudelis erit, ſi ſemper rigidus; crudeliſſi-

Hiſt. Oliuet. lib.1. fol.14.

Rectoris partes edocet B. Ber.

muſ,ſi ſemper indulgens. Nimia ſeueritate radicitùs arent ſubditi; profuſiori indulgentia languеſcunt medullitùs. Qui alios gubernat Paſtorem ſe eſſe ſciat, tondeat leuiter ad feracitatem, non penitus ad cruciamenta, ad interitum. Meminerit ſubiectorum culpas, vel pœnas, ab ipſis prçſulibus expetendas, quod tam longo fletu extimeſcebat Regius Pſaltes inquiens, Ab alienis parce ſeruò tuo. Si nauis æſtuans ad Maleas, Syrteſquè vorticoſas alliſa frangatur; pœna dignus nauclerus debilis. Si diſſipati milites trucidãtur, Duci vel nimiùm audaci, vel admodum pauido refunditur mulctando culpa. Ne dignitate ſuperbiendo gliſcat, à vulgaribus ſubditorum exercitamentis nec abſtineat Optimus Præſul. Doceat magis moribus, quàm voce. Vileſcit vel præclara doctrina in ore Doctoris immundi. Non horremus minùs cœnoſam aquam in vaſe puro, quàm pellucidam in impuro. Acies eſt cõtra Tartareas cohortes monaſticus ordo. Nũquam ſinè ſtrenuo Duce victor diſceſſit exercitus. Mõſtroſum quippè corpus ſinè capite, monſtroſi euentus, & calamitoſi contingent ſinè Rectore. Vt autem quælibet ſanctè componantur, optimo Principe opus habemus. Detur noſtro huic Cęlo myſtico Sol, q luſtret, & illuſtret, ac pe lloſæ huius vitæ dubios curſus demonſtret. Ne patiatur ſilueſcere recèns conſitam Dei vineam. Sit tolerans laborum, vt eoſdem tolerare eius diſcant exemplo ſubditi. Efficaciùs morum, quàm lingue teſtimonium eſt. Habent opera linguam, & facundiam, ipſa lingua

Pſalm. 18.

tacen-

tacente. Doceat ſibi ſubiectos hilares eſſe ſub iugo paupertatis, obedientiæ, caſtitatis; ſit tandem ſcientia, & virtutibus prædicus. Dominaturo homini beſtijs terræ, volatilibus Cæli, Mariſq; piſcibus dedit ſummus, ac ſapientiſſimus Opifex ingenium nobilius, ac in eũ, immiſſo ſopore, omnium rerum infudit ſcientiam, ſapientiam prę clariſſimam, ità vt nomen cuiquè Adam impoſuerit. Maxima enim Principis virtus eſt noſſe ſuos. Pareant ſubditi ad tãti nutum Rectoris. Obediẽtiæ meritum quis dignè explicet? Præclariſſimum eſt ſacrificium omni holocauſto acceptius, quippè quo non vitulos, vel agnos, ſed nos ipſos Deo offerimus, iugulamus. Ordo regularis obedientiæ fulcro ità fulcitur, vt eo amoto, corruat tota ipſa Religio neceſſe eſt. Vnus ſit, qui omnibus moderetur. Pernicioſa imperãtiũ multitudo. Vbi plurium regimina, regimen nullum. Eligite itaquè chariſſimi in Domino, quem maioribus virtutibus inter tot dignos ſocios præcellentem nouiſtis. Verùm quò magis in hæc effundebatur Bernardus, eò magis in eum mentes omnium dirigebantur; ipſe verò oblatam dignitatem profuſioribus lacrymis tenuebat, ſe miſerum, ſe inutilem ſeruulum, ſe peccatorem fatebatur. Expauebat, ò mira hominis humilitas! ad regiminis vmbram. Sed quò magis abnuens erat, eò magis (vt de Nepotiano ſacerdotium recuſante dixit Sanctus Hieronymus) ſtudia in ſe omnium & ardentiora vota concitabat, & merebatur negando, quod eſſe nolebat, eoquè dignior erat, quò ſe ip-

Gen. 1.

Gen. 2. Homo imperaturus animalibus ſapientior illis efformatus. Gen. 4.

Obedientia meritum, & laus.

S. Hieronymus de Nepotiano.

ſe clamabat indignum. Et re vera Dignitates, Coronæ, Imperia vmbræ ſunt in hoc ſæculo. Rex ipſe lucis Regnum ſuum has inter tenebras non exiſtere aſſerebat, huiuſmodi tamen vmbræ proſequentem fugiunt, fugientem proſequuntur. Deflectat quiſquè, calcaneoq; ſemper inſiſtat, & dignitates tanquam Aaron à Deo vocatus ſuſcipiat.

Ioan. 18.

Heb. 5.

Eligitur Primus Abbas Generalis Oliuetanus Patritius de Patritijs, Templum Deiparæ ſacrum extruitur, & humile Monachis Cænobium excitatur.

CAPVT III.

BEato Bernardo nimis ab omnibus expetito renuente, vt nuper diximus, Præſulatum, ventum deniquè, ſic ipſo obſecrationibus efflagitante ſupplicibus, ad alterius electionem. Inuocato igitur ſuppliciter Sancti Spiritus auxilio, vt veniret, vt eorum fidelia corda repleret vt cũctorum viſeret mentes, vt expelleret tenebras, oſtenderetquè quem eſſent electuri. Eligitur ſtatim, poſt effuſas preces, vnanimi voto eiuſdem Beati Patris ſocius Patritius de Patritijs Senenſis, nobilitate, doctrina, vitæ integritate præſtantiſſimus. Vir hic, vt prænarrauimus, per celebrem

Primus Abbas Generalis Oliuetanus Patritius de Patritijs Senẽſis.

illam

illam de mundi contemptu à Beatò Patre habitam concionem vindicatus, & ſolutus à ſæculi laqueis dicauerat ſeſe vnà cum ipſo Bernardo Eremiticæ aſperitati. Genus trahebat præclaro è ſanguine, eratq; ingenio mitis, & grauis; conſilio conſtãs, & pollens; mẽte non obnubilus; admirabili humilitate, vigilantia inexpleta, puritate penè Angelica, multis aptus laboribus, auſteritatẽ patiens; alacer in ſuaſu, in opere feruentior; virtutibus tandem ſcatebat plurimis. Profectò dici poterat miniſter Euãgelicus, qui cæleſtes theſauros ſubditis filijs impertiri valeret. Subijt regendi onus Patritius Bernardi precibus, qui ei de Electorum iudicio gratulatus, ante omnes, demiſſis humi genibus, humillimè noui Præſulis exoſculatus eſt manus. Contendebat inuicem pio certamine vtriuſq; humilitas. Bernardus indignus, qui tanti viri tàm ritè electi pareret imperio, Patritius indigniſſimus, qui tot regeret illuſtres viros, ipſumq; Bernardum. Hæc dum ſanctiſſimè in ſacra Eremo geruntur, aduolat celebris fama, & narrat quaquè mores inibi caſtiſſimos, miram omnium ſanctitatem diffulgere, Diui Benedicti acceptam regulam ſumma integritate cuſtodiri, horas ad receſſum illum ſilueſtrem, tanquàm ad fortunatæ æternitatis portum traduci; tempus eſſe beatum aſſiduas inter meditationes, & dulciora ſuſpiria; euulgabat paſſim volitans fama cæleſtes illius deſerti delicias, frequẽtes orationes, concentus feruentes, ſermocinationes, fortunatos labores, beatiſſima ſilentia, ſuauiſſimam pacẽ,

Patritij de Patritijs Primi Generalis Abbatis Oliuetanorum laudes.

Cænobitica vita bonus odor quaquè diffuſus.

diuinam quietem, pacatiſſimam cæleſtis dulcedinis vbertatem. Quarè plurimi, abiecto, peſſundato ſæculo, illiuſquè ludricæ ſcenæ floccifactis miſerrimis ſpectaculis, ad Oliuetanas rupes, & caligantes receſſus, habitum ſuſcepturi, confluebãt. Nobilis hæc, & ſancta multitudo iam inhiabat extructa ſacellulum, & habitacula tot Cœnobitarum incapacia amplificare; quapropter pro cuiuſquè viribus inſudat quiſquè extruendis ex argilla, arborumquè truncis, ac ramis, mapalibus potius, & agreſtibus caſis, quàm cellis. Accolæ illi integerrimi Euangelicam paupertatem perſonabant, viæ humiles, tecta pauperrima, cauernoſa tuguriola, obſcuræ cauæ, & latebræ. O ſilueſtre antrum diuinioribus viretis ſparſum, & purpuraſcens! O feliciſſimę rupes cęleſtium orbium ſcenæ, & Theatra, quoties dignæ, quæ vos incolerent è Cælis dilapſi Angeli, beatiſſimi ſpiritus! Annum in adminiſtratione exegit Patritius; hoc erat ſub ea initia conſtitutum tempus regimini, maximè tamen in exiguo curſu præſtitit optimus Præſul. Sategit ne quid Patriarchæ Benedicti regulæ relaxaretur. Difficillimum eſt, Duce laborioſo, ſanctis verbis, & ſanctiori exemplo pręeunte, ſubditos eſſe ſocordes. Patritio, qui poſt multos annos in bona ſenectute de ſuo ordine ſatis benemerito ad æterna præmia euolauit, cùm vitæ, tùm æſtimationis laurea acclamatiſſimus, ſubrogatur (renuente denuò regimen Beato Bernardo) alter eiuſdem Beati Patris conſors Ambroſius Piccolomineus, qui etiam anno in ſuo

Oliuetani Cœnobitæ templũ extruũt, & capaciora habitacula.

Regularis diſciplinæ cuſtodia ſub Patritij de Patritijs regimine.

Fato cedit Patritius de Patritijs, & Abbas Generalis conſtituitur Ambroſius Piccolomineus.

munere nimis laudabiliter expleto, Eremitica, & monaſtica gloria inſignis ad coronam in Cælo pro exantlatis paratam laboribus conſcēdit. Digniſſimus finis glorioſorum facinorum, quibus nati videntur magni Piccolominei. Sanguis horum præclariſſimè non modò in Italiæ plagis, ſed per vniuersũ Virtutes inter, & Palmas rutilat, atq; triumphos, ſeù de edomitis hoſtibus nos inter, ſeù inter Cælites de ſubactis Inferis. Non vno ſuperbit lux tàm effulgēs nitore. Sacra inter Clauſtra Viri extitere ſanctimonia inſignes, in Toga Catones Summi cōſilij, ciuilis fortitudinis, equeſtris conſtantiæ; in infulis & tiaris purpurati heroes, & Pontifices maximi; in ſago præexcellentis fortunæ, & fortitudinis Anteſignani, & Duces ſtrenuiſſimi. Viuit, dum hæc ſcribo Octauius Piccolomineus Belgici gloria belli, qui hoc diei poteſt æuo alter Auguſtus, quòd Auguſto, nempè Cæſari præſtantiſſimum ante omnes armigerum præſtat ſeruitium. Quot inijt prælia, tot retulit trophœa. Cerneres in huiuſce dextera victrices pullulare palmas. In fidei rebelles orthodoxæ, pro cuius tutela ſanguinem fundere, iugulum oſtentare millies non formidat, Thebanos, Epaminondas, Romanos Pompeios hic vnus exprimit. Et hos, & alios innumeros fortes, integros, nobileſquè fama proſequitur diuino munere immortalis. Præficitur, defuncto noſtro Ambroſio Piccolomineo omnigenis referto virtutibus Simon de Thure Senenſis, qui eàdem prorſus via inſiſtens, adminiſtratione annua functus, honore,

Piccolominei ſāguinis claritas, & maieſtas.

Octauius Piccolomineus noſtro ſæculo belli gloria.

Ambroſius Piccolomineus ſecundus Abbas Generalis Oliuetanus fato cedit.

& onere ſe abdicat, vitæq; cedens humatur in ſepulcro, vbi ceteri Maiores duo, eſtq; propè Eccleſiam, quò egreſſi ab Odæo conueniunt Monachi ad pſalmos, preceſquè pro defunctis fratribus. Non ocio torpuit hos tres annos B. Bernardus; ſua intererat cũctis conſulere. Nihil enim, co inſcio, ob viri reuerentiam, & ſapientiam agebatur. Ipſe ardentiſſimo ſtudio, & feruentiſſima diuini amoris percitus flamma, aduenientes ad monaſticam Eremum verbo, exemploquè cœnobiticæ vitæ tyrocinia, & ſanctæ regulæ cuſtodiam edocebat. Cuncti tanti Inſtitutoris exemplo ad virtutis apicem ſummo ſtudio contendere, in dies proficere, ſanctitatis culmen magis, ac magis attingere. Roborat dextra faciens currentes animas, quæ, illa volãte, ſtare loco neſciunt, itinera inhiant aſperiora virtutis. Nullus tamen recenti in Chriſti condita vinea labore præibat B. Bernardo; nemo maiori zelotypia exardeſcebat diuini cultus, & monaſticæ diſciplinæ. Egreſſos è ſæculo hortabatur ipſe ad deguſtandos diuinos amores, cæleſtes delicias in deſerto, in illa loci ariditate oſtendebat eſſe affluentes Sancti Spiritus ſcatebras, cellam vinariam charitatis, ebrietates animi, ſuauitates puris dũtaxat labijs notiſſimas.

Simon de Thure tertius Abbas Generalis.

B. Ber. monaſticæ vitæ auſteritatem, & mores Nuperos edocet.

Quod

Quod diu conſtruunt Cœnobitæ, noctu Dæmones deſtruunt. Fundit preces Bernardus Beatus, & à Deo loci cuſtos miſſus Archangelus Michael tartareas fugat laruas.

C A P V T IV.

CHriſtianæ pietati, & vnioni inimicus Satanas inuidentia pallens ſe acerrimum eã cõtrà ſingularia charitatis vincula hoſtem parat; fremit ira, odio æſtuat, & nequit pati, quod inter molles mortalium animos innumeris ſubiectos moribus, & caſibus pax ea propè cæleſtis, & vnio & tranquillitas admirabilis aſſeruetur. Illa, inquã, pacis dona, quæ ipſe nefarij Princeps belli in Empyrio pacatiſſima felicitatis Regia; nobiles inter conſortes minimè ſeruare ſategerat. Qui quondam in iniquum exarſit violentus bellum, pacis nomina horreſcit ſemper. Ne fidito infido Duci, & non niſi caſus ex illo præcipiti timeto animo. Nequit vaſerrimus hoſtis aciem contra tartara optimè ſtructam, apparatam, tantoq; ordine ſanctè diſpoſitã contueri. Rabie igitur actus effera furit, fumum, & flammas euomit, dum irriguis ſudoribus circa Cœnobij ſtructuram, templiquè Deiparæ, (cuius calcaneo contritum ſibi caput ſenſerat) proprijs manibus elaborat pius,

Satanas pacis, & charitatis oſor ſacri templi, & cœnobij ædificiũ extruẽdum ferre nequit.

Gregor. Lombard in vita B. Ber. lib. 3. cap. 6.

& venerabundus Cœnobitarum Chorus ruinæ ſtudet ſæuiſſimus vmbrarum Princeps. Laborant nobiles cœmentarij, atqui per noctem quæ conſtruunt illi per diem deſtruunt demolitrices vmbræ. Dæmones ab eorum acciti execrando Principe ſternunt, diſſipant, diſpergunt omnia ingenti labore comparata. Spectabantur manè tecta illa conſternata iacere, dirutæ trabes, tranſtra hinc indè diſiecta, collapſi parietes. Querebatur interim puſillus ille grex fuſos perperàm diurnos, diuturnoſq; labores. Inſtabant ſinguli frequentiſſimis precibus, vt reuelaret humilibus ſeruis ſuis Deus, quænam eius foret voluntas. An renueret peccatorum manibus nouam ſibi Matriq; ſuæ erigi domum. An fortè alibi excitandum ſanctiſſimum templum; non in ſpelæis, non in receſſibus illis horrore ſqualentibus. Beatus Pater impenſiſſimè orationi hac de re dabat operam, ſoluebatur in lacrymas, quaſi propria culpa (tanta erat viri humilitas) Dei, Virginiſq; opus præpediretur. Rogitabat vt diuina affulgeret pietas, panderet eius conſilium; non ſuas culpas, ſed ſociorum pietatem, integritatemquè conſpiceret. Diſtulit diuina bonitas ſeruo ſuo Bernardo ſolamen oblectatus nimiùm nimia illius humilitate, & flagrantiſſimis precibus, quibus ſe tādem glorioſiſsimè & vinci ſinit, & vinciri. Paucis poſt diebus cùm propè illa dirūta turguriola, & argillæ aceruum, orationem lacrymoſiſſimam funderet Beatus Pater, diuina quadam ecſtaſi raptus vidit fixè oculis inter incompoſitas eas trabium, trun-

Magna B. Ber. humilitas.

Greg. Lemb. lib. 3. in vita B. Ber. cap. 6.

corum

corum,ſpinarum, terræq; moles Iuuenem quemdam nobiliſſimi aſpectus proceræ ſtaturæ,puriſſimæ venuſtatis. Induebatur bellicis militari more ocreis, lorica fulgebat adamantina, caſſide forti tegebatur parum elata ad frontis glorioſiſſimos aperiendos decores. Natat ore decor plurimus, vultus afflatus auræ ſunt ſuaues, candidus verò fulgor mare lacteum credebatur. Per tempora hinc indè aurei cincinni, floridæ comæ fluere, auram carpere dulciſſimam, eamdemq; ſuauiſſimè afflare. Geſtabat cæleſtis ille miles ſtricto capulo fulgurantem enſem, ſæpiuſq; vibrabat dextera, ſiniſtra pectori hærentem clypeum lucidiſſimum ſuſtentabat. Circumibat militari greſſu cœnobium, templum, parietes dirutos. Hauſit tum B.Bernardus ſuauiſſimo mentis exceſſu mille penè Dæmonum agmina ignitis luminibus, exeſis linguis, nigerrimo ore ruinæ loci inhiantia. Miles verò è Cælo dilapſus dulciſſimo iuxta, & acerbiſſimo aſpectu, flammiferis oculis modò auernales eas turmas ferro indignabundus percutit, modò tetras faces diſſipat, ſternitquè: audiuitq; Beatus Pater ita loquentem cæleſtem militem. Laruæ nequiſſimæ eſtote procul, itote præcipites in profundiſſima veſtra barathra, veſtraſq; lugentes ſedes, pœnarum cubilia. Ego ipſe hoc iubeo veſtrùm iam in Empyrio victor. Citiſſimos glomeratote greſſus, ſedemquè hanc pacis dehinc ne turbatote. Mandat Deus, Deiq; Mater: ipſe has per auras iuſſa tuli, me ſcitis, & enſem hunc minacem domitorem. Ad hæc turbæ illæ Inferæ

Michaelis humanam ſubeũtis formam deſcriptio.

Michael Archangelus Montis Oliueti cœnobij defenſor, & cuſtos.

A Michaele Archangelo fugãtur perturbatores Dæmones.

tre-

tremere, pallere, fugamquè vlulatibus tartareis arripere præcipitantem. Fit illicò, reuelāte Deo, palàm B. Bernardo Dęmones nocte in ædificia ſæuijſſe, Iuuenem illum ſplendidiſſimum, & loci vindicem, eſſe Michaelem, qui ab Hieruſalem beata Luciferum, & rebelles aſſeclas haſta fugarat, eiecerat inclytus victor, & triumphator. Tùm deſcendiſſe Cæleſtis militiæ Ducem ad nouam Oliuetani Montis Hieroſolymam, vt eoſdē hoſtes Dęmones arceret; quin, & impoſterū ſub tanti Archangeli patrocinio fore locum. B. Bernardus hęc inter mira delibutus dulcedine, ſtupore correptus, humi ſtratus gratias Deo, Deiparæquè perſoluit humillimas, ſtillaturquè ſuauiori ſenſu in lacrymas, atquè ad ſeſe tandem dulciſsimè redit. Socios actutum adit, & ad opus proſequendū hortatur, teſtaturquè non amplius euertendum ad Inferis hoſtibus, nec deinceps præualituras contrà erigendum Deo, Matrique Virgini tēplū, Tartareas portas. Irā perfidā, rabiēq; veſanā mali Dęmonis aperit in eos, qui ad Charitatem perfectionis apicem contendunt. Serui verò Dei alacriùs pij operatores in opus Deo, eiuſquè Genitrici puriſsimę ſacrum incumbunt; & monitu Bernardi Archangelo Michaeli aram ſtatuunt ibi, vbi iam fuit admirabilis illa ſcalarum cæleſtium viſio. Quot numerat Eccleſia ſancta triumphos Tibi non referendos Princeps cœleſtis militię Michael potentiſsime? Quis, te Duce, non agnoſcet victorias? Ara illa tibi à Religioſis noſtris Patribus extructa animos no-

Archangelo Michaeli aram ſtatuendam curat B.Ber.

ſtros tibi cuſtodi, & triumphatori te votos habet, & litatos.

B. Bernardus omnium conſenſu Supremus Moderator eligitur.

C A P V T V.

FAto iam functo Simone de Thure victus tandem Cenobitarum ſociorum iteratis precibus, & peculiari forte Dei, puriſsimæquè Matris conſilio regimen Oliuetani Ordinis ſuſcipit deniquè B. Bernardus. Effulſit in ipſo vno quidquid à Summis Monachorum cunctis Præſulibus expeti poterat. Nequè enim vnica virtute, ſed bonis artibus imbutus erat ſingulis. Exardeſcebat ipſe ſanctiſsimo igne charitatis, quo ceteros perurerat. Patris inerat amor, Iudicis rigor, vtrumque condiebat, ita vt filiali amaretur timore, filiali timeretur amore. Et vt primus in regimine, ſic in ſtatutis cuſtodiendis Princeps. Multa voce promebat, maiora præſtabat. Vox eius, & ipſum ſilentium cunctis proficiebat. Decet enim parum loqui Ducem, & multa peragere: facta ſunt efficaciora vocibus; ſi iſtæ clamant, & illa non clamitant, voces illæ non audiuntur. Surdis canit vox non faciens. Præcipua Bernardi virtus erat charitas, qua percitus infatigato ſtudio, & inexplebili cura ſolabatur mœſtos, ſollicitabat deſides, accendebat gelidos, occurrebat

Virtutes B. Bern. ſacro ſceptro digniſſima.

Bonus Rector paucis innoteſcit verbis, multa operatur.

B. Ber. charitas.

bat indigentibus, erigebat lapſos, firmabat firmiùs ſtantes. Per hanc omnibus omnia erat. Si prodeſſe videbatur alacritas, totum ſe hilarem religiosè effundebat; ſi profuturam notabat triſtitiam, in hãc ſanctè incidebat. Si humilitatem, huius certiora aperiebat ſigna. Si pietatem, vidiſſes amantia viſcera. Si ſeueritatem, dulcè ſeuerum ſe præbebat. Monachos, & ad Eremum ſecedentes à profanis curis, & ſæcularibus negotijs omnimodè arcebat. Nihil, aiebat, eſt Cœnobitæ perniciosius, quàm immiſcere ſe mundanis curis. Animis elongemur, ſuſpirabat, fugiamus aſſumentes pennas diuini adiutorij, euolemus è ſæculi turbis; & maneamus non tantùm corpore, ſed etiam mente in ſolitudine, vt loquatur ad corda omnium veſtrùm Deus. Si corpore erimus in valle, mente verò in Mundo, diſtracti, & laniati viuemus. Effundamus ex pectore preces pro illis, qui procul è portu ſalutis mundanis fluctibus iactantur. Frugi erimus, ſi alijs enixè bonitatem impetremus. Felices nos, qui errores reliquimus ad illos amplius non reuerſuri. Crucifigamus carnem noſtram cum peccatorum ſordibus. Abijciamus opera tenebrarũ induamur arma lucis, vt filij lucis ſimus, & in luce ambulemus. Deponamus faſciculos deprimẽtes, & ſarcinas, quæ nos in longo itinere, è terra nempè ad Cælum, aggrauant, & aditum ab Oſtiolo illo arcto, quo ingreſſus habetur ad vitam, cohibent nobis. Simus puſillus grex per paupertatem vſquè ad cutem tonſus, vt expeditiùs ad mõ-

Omnibus omnia fit B.Ber.

Sæculi conſuetudo Cœnobitis perniciosa.

Galat. 9.

Rom. 13.

Iſai. 26.

tem

tem cõtemplationis gaudijs vberem, bonis omnibus affluentem, conſcendere valeamus. Quàm inutilia ſunt, & infelicia aurea vellera ſæculi. Datur nobis tõſura, abraditur caput, vt ſciamus abijcienda quæ ſæculi ſunt; non enim quæ gerimus noſtra ſunt, ipſæ cogitationes noſtræ, nec verè noſtræ, ſed vnius Dei ſunt. Non nobis ampliùs voluntas ineſt, ſed ei, cui voto nos ipſos obſtrinximus. Nec caro noſtra, noſtra eſt, immo euaneſcere oportet, vt nõ ſimus in carne, ſed in ſpiritu, in hac omnium pauperrima pauperie diuites, omnium ditiſſimi ſumus, quin Reges ſumus, hinc datur nobis raſo in capite corona. Eripiamus nos à mundo deuoti Deo, cui vni in ſolitudine ſeruitur. Regnamus cũ ſeruimus. Pacem repoſcemus quietiſſimam à ſalutari contra nos bello, quod ipſi Dæmones ſtruunt in hac luctæ palæſtra, dulcedinem libabimus ab hac vitæ amaritie, beatitatẽ à pœnitentia, ſomnium à vigilijs. Deponamus nõ baiulemus mundi ſarcinas, vt Deo fortiùs inhæreamus. His monitis moderatoris Beati Bernardi volitant cuncti in purioris vitæ apicem feliciſſimum. Incipiunt iam cogitare de ordine amplificando, de conſtruendo capaciori Cœnobio, templo, atque odæo, vbi omnes tanquam latiori in æquore deſiderij carbaſo, & ſãctitatis ad æternitatem velificent. Bernardo quippe ſummo rectore turmatim confluebant ex pluribus non modò Italiæ, ſed longioribus tractibus ad Montem Oliuetum ſub tãti viri diſciplina Deo famulaturi. Peractis itaquè horis in pſalmodia, & feruenti

Cœnobitis cur detur tõſura, vel raſura.
Rom. 8.

Habet Cœnobita in raſura coronam.

Religioſè diſtinentur in manuū operibus Monachi Oliuetani

oratione vnà cum Beato Bernardo ſocij effodiūt cretaceas rupes, argillam alij curru deferunt, nō-nulli aqua macerant, pleriquè lateres quadrant, multi religioſo famulatu effoſſam terram aſportant (nequè enim ſtruendi, vel ædificandi ſuppeditat alia, quàm cretæ materies) cedunt hi ex arboribus ramos, illi ſuccollant, multi feruentiori ſub æſtu ignem accendunt non vincti in Aegypto, vel ſerui; ſed ab Aegypto ſæculi egreſſi, & liberi; non in terra captiuitatis, ſed in terra promiſſionis coquunt lateres, ex quibus pij cœmentarij, floccifacto terreno faſtu erigunt Deo, Matriquè Virgini tecta, templumquè. Iam noua Hieruſalem illius cæleſtis imago videtur in valle exoriri, & ſurgere ex viuis lapidibus. Iam vides diſtentos ad Dei Matriſquè gloriam Virginis ſeruos Dei in operibus luti, non ſub tyrannico Rege Pharaone, ſed ſub pijſſimo Duce Bernardo. Iam cernis in valle, & inter barathra ſurgere oppidulum, quod ſic excreuit hac tempeſtate, vt Vrbs quædam religioſa magnificentia videatur extructa. Redolent adhuc ſanctimoniam muri illi tanta pietate à maioribus noſtris, tot irriguis ſudoribus elaborati, crediturquè omnibus ſuauiſſima viſio pacis. Vtinam ſimus, & nos viui lapides ædificij beatiſſimi. Vtinam inter cōcaua vallium, & prærupta rupium deliteſcentes inhiemus apici perfectionis. Arduum, & accliue fateberis per ſcabroſa iter, ſed charitas complanat omnia.

Oliuetanorū manibus excitatur templum Deo, & Deiparæ.

Montis Oliueti Cænobij in agro Senenſi, prout nunc extat, deſcriptio.

CAPVT VI.

PRæclaras Parentum memorias haud licet filijs,& mente non recolere,& voce,ſcriptoq; non recenſere. Antiquus labor diuinæ datus gloriæ,ſi memoriam ſortiatur, habebit & reſpondēs imitamen. Non ab re mihi fore cenſeo deſcribere Cœnobium illud Montis Oliueti in agro Senenſi celeberrimum cunctis,& ſumma veneratione notiſſimum ; Id & aſperrimæ pœnitentiæ prima palæſtra;& ſanctimoniæ inſignioris Princeps Oliuetani ordinis Sedes. Horriſonas inter valles iam Acconenſes,nunc dictas Oliuetanas,interq; hiantia præcipitia,præruptoſquè anfractus , nigranteſquè ſiluas,mœſtaſquè cupreſſus , vt ſuprà memorauimus iacet Cœnobiū omniū antiquiſſimum,& patēs templum, licet ſqualidas inter ſpeluncas, nobili maieſtate ad Dei, Deiparæq; honorem conſpicitur faſtigiatum. Acceſſus ad Cœnobium idem, qui iam erat ad Eremum . Vnus enim eſt illius aditus per pontem ligneum, & pēſilem. In veſtibulo,quod per eumdem pōtem tenetur, ſupra nimirùm oſtium, Beatiſſima Virgo Mater ex cocta argilla colorata proſpicitur. Vna manu pectori hærentem geſtat filium , altera Religionis Oliuetanæ inſignia , quæ ipſamet exhi-

buit, trifidum nēpè mōtē, in cuius cacumine crux ſanguinea rutilat; hinc inde viridantibus oleis Mons ipſe vallatur. Veſtis Virginis cærulea, aptus color Reginæ Cælorum. Excitat Matris vultus, Filijq; pulcherrimi intuentes ad Religionem, pietatemquè. Adeſt tanquam loci tutatrix Beata illa Mater, nec licet Eremū adire ea inſalutata vnà cum Filio poplitibus flexis. Poſt veſtibulum dextrà offendis valetudinariam officinam, vbi ſummo pietatis argumento non Cœnobitis tantùm, ſed circumhabitantibus parantur ad ægritudines medicamina, pauperrimis. Læua conſurgit turricula, & habitacula multa protenduntur ad hoſpites præcipuè excipiendos, qui & frequētes, & multi ſunt. Lateritia in longum media proteritur via molliter accliuis. E latere villatica piſcina ſpectatur, eam circum latè patent hortuli, atq; tramites lateritij; ſtabula capaciora, varia infimæ genti habitacula; ferrariæ, ac lignariæ officinæ, quæ deſerto eo in loco & incolis, & hoſpitibus opus ſunt. Amplior omnium via media, quæ lata, & in ob longum exporrigitur alticomis cypariſſis mœſtè frondeſcit; per hanc ad omnium antiquiſsimam Diuæ Scholaſticæ iter habetur ædiculam, quæ cypreſſorum funeſta vmbratur ſiluula; alia ex parte etiam lato calle ad alterum ſacellum Diuo Benedicto ſacrū pergitur, noſtris temporibus excitatum. Multi per gyrum, ceù labyrinthæi ſunt tramites, quibus ſepitur templum per quos ſpargebantur iam Eremiticæ cellæ, nunc ſunt ſacra ſacella. Templum autem, & cir-

cũcircà cœnobiũ nemoroſæ valles, ſacra teſqua ſũt, exeſæ rupes. Cãcellatis arundinibus intextis floribus, roſis, lilijs, garyophyllis, hyacinthis, violis, roſmarino, ceteriſquè herbulis odoris, ac pictis floſculis, ſeù quæ rerum parens natura ſpontè, ſeu quæ manu ars edidit operoſa, coronantur areolæ. Spatiantur per tramites illos incolæ, ædiculas ſacras inuiſunt, captantq; diuinos ſenſus ex frementis ipſius auræ murmure, & ex quolibet frondis, floriſq; conſpectu Deo laudes concinunt. Ciſternæ aquis exundant vberrimæ ad ſitim arcendam, ſudoreſq; refrigerãdos effoſſæ. Adhuc pluuiales illi receſſus lacrymis, ſudoribus maiorum noſtrorum commiſcentur, fitq; ea cum memoria dulcior vnda potantibus. Cœnobium ipſum magnificum tribus clauſtris ſuperbit, in quorum primo vita Monachorum Patriarchæ Diui Benedicti, ac geſta, inſignis pictoris pẽnicillo expicta circũſpectãtur. Ibi nomina Abbatũ Generalium ab origine Oliuetanę Congregationis notantur, & Cœnobia itidem eiuſdem coloribus exprimuntur. Plura cubicula, & ſpatioſa deambulacra admirabili diſtincta ſerie ſuperius, inferiuſquè videbis. Capituli, Scrutinij, Definitorij, Triclinij, & Bibliotecæ loca aptè ſimul, & magnificentiſsimè patent. Cellę itidem plures religioſa pauperie refertæ Monachis hoſpitibus, & extero cuicumq; religioſè apparantur. Cœmeterium vbi Cœnobitarum conduntur cadauera iuxtà templum iacet; cui diues ſacrarium nexum. Templum ipſum Deiparæ Matris natali

ſan-

ſanctiſſimo ſacrum, ſacella plurima peritioribus pictorum manibus graphicè elaborata. Odœum ampliſſimum, quò ad comitia tota generalis concio conuenit exornatum ſatis. In prima ſede Sũmo Oliuetanorum Pręſuli decreta, erat Archangelo Michaeli ara erecta, eodemq; in loco B. Bernardo, ſocijſque Eremicolis fuere Scalæ, Ieſus, Virgo Mater, Angelorum Chorus, & cãdidi Monachi Sanctorum comitatu Spirituum ad Cælum aſcendentes, oſtenſa, vt ſupra memorauimus. Et re vera præ omnibus venerabile, & conſpicuum templum, ità vt dici poſsit Domus Dei in magnificentia. Hoſpites habuit; habetquè cęnobium quotidiè nobiliſsimos (& prætermiſsis ſilentio viris principibus innumeris, Magniſquè Hetruriæ Ducibus) Alphonſus Calabrię Dux, Neapolitanorũm Regis Ferdinãdi Filius ex familia Aragonenſi, qui, vita functo Patre, Parthenopæo Regno ſucceſsit noſtri ordinis amantiſsimus, & beneficentiſsimus; tres dies locum incoluit, & Oliuetanis comitijs (admiratus noſtrorum Maiorum Charitatem, pacemquè, cõſenſumquè vnanimem, in eligendo ſummo noſtræ Religionis Pręſule) interfuit, vt videre eſt in Oliuetana hiſtoria. Inter multa cœnobia Neapolitanum regiè auxit, pleriſquè alijs affluentes fructus, & cenſus largitus eſt; ſummo noſtri ordinis auſteritatis, & monaſtici inſtituti amore captus. Per annum milleſimum quingenteſimum trigeſimũ ſextum eumdem locum inuiſit Carolus Quintus Romanorum Imperator auguſtiſsimus ma-

Alphõſus II. Regni Neapolis Rex de Oliuetanis optimè meritus.

gno

gnò nobilium, equitumq; ſtipante caterua ad bis millenos homines,dataq; fuere domicilia proceribus, & dynaſtis omnibus,ceteriſq; comitibus, nec defuere equilia equorum millium capacia. Multa Oliuetano Ordini priuilegia munificẽtiſſimus contulit Carolus, habuitquè ingreſſum Monarchæ conſonum,voluitq; inſignes fauores, & sũmæ liberalitatis monimẽta nobis cõferre, & ne vnquam illuſtrium facinorum memoria excideret,erecta tanto Imperatori loquacia marmora ſunt. Paulus item III. Farneſius anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo in eodem Montis Olìueti Cœnobio hoſpitio excipitur.Per noctem diuerſatus eſt ingenti humanitate. Apparatus omnes, & ſuperbos faſtus omninò inhibuit,Abbatis humili cellula contentus,in eadem noctem tranſegit;nec vnquam ſe placidiori quiete teſtatus eſt ſoporatum tranquilla in ea pace, rupes inter illas,& barathra, aulico procul fremitu,& pompa. Fugit quies ab aula,aduolat ad nemora.Pius item II.Piccolomineus anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono humili,& penè eremitico ſplendore inibi excipitur, Obuiam ei facti fuere Oliuetani Cœnobitæ oliuarum ramos manibus præferentes, canticum lætitiæ concinentes,& gratiarum.Non potuit intuitus horrida concaua illa Vallium, & præcipites rupes Monaſticę ſolitudinis,lacrymas dulces, piaſquè cohibere Summus Antiſtes.Reſonabant interim ſuaui, dulciquè concentu ſpecus, & antra; nulla fremebat aura,& ſopitæ tacebant volu-

Caroli V. munificentia in Oliuetanos.

Paulus III. Farneſius PP. Max. Montis Olìueti Cœnobium inuiſit.

Pius II. PP. Max. ſuſcipitur in eodẽ cœnobio.

cres,

cres, ætherea ſcintillabant luce loca. Ita perfuſa purpuratorum Patrum, omniumq; hoſpitum corda lætitia, vt cuncti amœnam Eremi pacem, & penè beatitatem conclamarent. Cumquè dies ea quinta Iouis eſſet, noluit Beatiſsimus Pontifex ob loci venerationem carnibus veſci; quin & illas ceteris inhibuit. Quarè in triclinio, vbi aſsident Monachi, maritimis cibis ad eſum vſus eſt, frugalibus epulis; accumbente ſanctiſsimo Pio, iuſsi ſunt muſici laudes Beatæ Catharinæ Senēſis modulari, tantaquè ſpiritus dulcedine concinere laici cantores, vt elicerent, excuterentquè dulces à Cœnobitis, ceteriſquè lacrymas. Spiritualibus theſauris locum Beatiſsimus Pontifex locupletauit, atquè Oliuetano Ordini priuilegia contulit multa. Trecentos homines comites habuit, & equos centenos, & vicenos, quibus omnibus nihil defuit ad monaſticū victum, ad ſomnum, quietemquè per noctem. Monachorum humeris delatus vſquè ad ianuā diſceſsit Pius Pontifex Summus. Libro decimo in Commentarijs de ſuo itinere, dequè Montis Oliueti cœnobio, ſituquè fusè agit, fecitquè aſpectu, & pontificio calamo monaſticam noſtram pauperiem multiplici corona fulgentem. O felices receſſus, in quibus pax inuenitur, & Deus, ille Deus, quem per vicos, & plateas inuenire nequiuit Sponſa, ſed in plateis, & vicis fuit exuta veſtes miſera; & vulnerata. Fugiamus ergò turbas, & mūdū in quo ſpoliamur veris diuitijs, vitijs obruimur, vulneramur tādē inter eius fluctuoſas illecebras perituri.

Pij II. PP. Maximi in Oliuetanos ſtudium.

Cant 5.

Sin-

Singulis annis de more monaſtico ſe abdicans B.Bernardus regimine, à Monachis ſemper confirmatur. Cœnobiticam diſciplinam altius prouehit augetque.

CAPVT VII.

QVò pluribus, & vberioribus cæli B.Bernardus affluebat auris, eò humilitate ſe ipſum deprimebat profundiori. Hoc habēt ſanctæ animæ in culmine poſitæ, ſeipſas calcant, & ſpernunt. Lucifer plurimi in Empyrio ſe faciēs, nullum ſe fecit, ex luce nempè caliginem, hoc & vmbræ filij affectant. At germina illius, qui cùm Deus eſſet formam ſerui accepit, ſummam ſemper in omnibus redolent humilitatem. Expleto itaq; regiminis anno, veniam de bonis omiſſis, de maliſq; admiſſis, Monachorum demiſſiſſimè prouolutus ad pedes, enixè petebat, deprecabaturq; B.Pater, vt ad cellulæ pauperculæ ocium quietiſſimum ſe reuerti poſſe concederent, quod cum ei à cunctis cœnobitis vna voce, conſtanti animo denegaretur, ſeptem annos in eo generali munere exegit. In hoc ſemper admirandus ſuperior, quòd ceteris in omni virtutum genere præibat, idcircò mirus hoc tempore extitit monaſticæ diſciplinæ profectus; non modò enim ad vnguem

Philip.2.

ſanctiſſimi Patriarchæ Benedicti cuſtodiebantur inſtituta, ſed tantus erat ſpiritus ardor, feruorquè Beati noſtri Patris, eorumq; ſectantium geſta tantus diuini amoris æſtus, vt multa præclariora facinora, ſeu humilitatis, ſeu charitatis in Cœnobitis illis glorioſiſſimè effulgerent; ad tanti enim Paſtoris Bernardi exemplum quiſquè benè compoſitus auſteritatē omnem affectabat. Perpauca referā, vt nos, vnà cum noſtris Poſteris Oliuetanis maiorum noſtrorū antiquis veſtigijs inſiſtere conemur. Quę autem dicimus excerpta, & comperta habemus ex Antonio Burgenſi eiuſdem noſtri Ordinis Monacho, & hiſtorico, qui floruit tēpore Diui Bernardini Senenſis, eiuſdeq; , vt ipſę teſtatur, familiaritate vſus. Pſalmis modulatè concinendis illi Patres antiqui matutinis intempeſta nocte operam dabant. Tum primo rubentis Maturę ortu, Ortū lucis ſideris numini decantabant. Veſpertinis verò precibus ſummo meridie, occidente verò Sole finem reliquis pſalmis imponebāt, nec vnquā, vel nox horriſona tēpeſtates, vel pallens aurora gelidiſſimas, & glaciales pruinas attuliſſet, vel infeſos ardores torridus Sirius pſalmodiam in longū protractā prætermittebant. Diuinas modulabantur laudes, ità diſtinctè, & piè, vt mente in Cælis verſante, non voce cantus expenderetur. Ex hoc longo, ſuauiſquè modulamine, cæleſte deliquium plurimi patiebantur; ieiunijs fracti, lacrymis vdi, Choroq; laxati procubebant ſæpè humi languentes. Tempus horas inter nocturnas, & diurnas medium, mentis contem-

Regula ſanctiſſimi Patris Benedicti ab Oliuetanis exactiſſimè cuſtodita.

Antonius Burgēſis hiſtoricus Oliuetanus.

Admirabilis pſallendi ritus penès Oliuetanos Cœnobitas.

plationi decretum habebant, feruidoquè diuini amoris calore æſtuantes, rigente Cælo, frigora, vel nimis horrentia non ſentiebant. A media noctis tempore vſquè ad orientis horam auroræ ſomnus, vel exiguus languidulus non permittebatur. Ieiunijs non modò ab Eccleſia iuſſis, à Diuoquè Benedicto Patre ſtatutis in regula, ſed inſuetis ſe ipſos macerabant. Cibus verò delicioſus durus panis, & ater; ſilueſtres, & inconditæ herbulæ; olerum quoquè è terra, glebiſquè euulſæ radices, vel agreſtes fructus. Potus aqua è Cælo collecta, nempè pluuialis. Carnium vſus nullus, niſi grauiſſimè ægrotantibus, & in ſepoſito loco, vbi infirmi Cœnobitæ curabantur. Non Bromij virebant frondes, areſcebat viridis pampinus. Vinũ enim ſingulis interdictum, & nè vlla illud deguſtandi daretur copia, omniſq; ſpes tolleretur, radicitùs conſitas vites extirpauere. Nõ pendebant è racemis vuæ turgẽtes. Mortificatus in illis athletis sẽſus excitabat ſpiritum ad pœnitentiã ſeueriorẽ; pro areſcentibus vineis, vidiſſes conſitos cæleſtiũ pomorũ hortos amœniſſimos. Tẽpus, ꝙ Odæo, & ſanctæ meditationi ſupererat, manuum operibus impendebatur, tanto ſilentio, vt deſertus penitùs, & nulli hominum inhabitatus appareret locus, ibi vox nulla, nullus ſtrepitus, niſi fortè quẽ ipſa manuũ occupatio per murmur edidiſſet. Veſtes omnium abiectiſſimæ erant, & aſperrimæ cilicio non abſimiles, quibus carni inhærentibus vtebantur. Contegebantur hyemali tempore pallio, vt Cæli iniurias libentiùs ſuſtine-

Oliuetanorũ vigiliæ in pſalmis, & diuinis meditationibus.

Cibus potus, & quale ieiunium.

Caro, & vinũ interdicitur ad esũ, & potum.

Manuum operibus datur opera.

Veſtimenti genus quale.

rent. Mutua operâ manualia ſpirituali lectione condiebantur, ſanguineis flagris ſæpè lacerabantur, non tamen abſquè prudenti Moderatoris arbitrio. Sibi inuicem parebant in omnibus, quæ ad Dei gloriam attinebant. Somnus captabatur ad breues horulas. Stramentitia culcitra, ceruical durum erat lignum panno laneo contectum; quieſcebant ſuper eo ligno, tanquam in tabula ſalutis, euolaturi ad vitę portum per hoc pelagus naufragum. Cum autem ad altiſſimum noſtræ fidei Sacramentum ſe præparabant, difficillimum explicatu eſt, quid peragerent, vt mundiùs accederent. Præmittebatur ad cibum illum diuiniſſimum, terquè tremendum generalis publica pœnitentia, & ſumma animi humilitate quiſquè plurimis virtutum actibus inſudabat, tùm lacrymoſiſſima confeſſione, vel à leuiſſimis labeculis ſe expiabat, ſicquè cibum vitæ Chriſto ſolum viuēs capiebat. Plures eo, mirabili ardoris charitate ſuſcepto, ſæpiùs ecſtaſi ſuauiſſima rapiebantur; nec certè licebat ampliùs forinſecùs viuere, aſſiſtente Numine in depaſta anima. Hæc percenſeo & ſimul ardeo, & algeo. Quin exclamabo. Quàm es labilis humana fragilitas! Ver viret, & fugit; frondes vernant, & arent; ætas floret, & decidit; & omnia tandem in peius ſenſim ruunt, &, vt cum latino dicam Homero: Retrò ſublapſa feruntur. O quàm verè ſingula Cæli ſub vertigine rotant, & euolant! Nihil ſub Luna conſtans. Fulgor hic ſolaris rotæ, & ipſe rotat, tepeſcit, deficiet. Vtinam nos Oliuetani tantæ humanæ imbecillitatis

Lectus qualis, ſomnus quantus.

Præparatio ad Eucharisticum cibū qualis.

Omnium ſub Sole rerum fragilis inconſtantia.

memores eſſemus. Siquidem in ipſo ſpiritus tepore nos ipſos humiliantes eueheremus ad perfectiores noſtri inſtituti apices. Certè, vt maiores noſtri, experiremur, quod paucis natura eſt contenta. Quod ſupra paucum eſt, onus eſt. Quæ quiſquè poſſidet, ſi affluant, effluunt; dolores augent, quò magis creſcunt, ſuauiſſima Cœnobitica hæreditas Chriſtus eſt crucifixus. Quod crucifixum non ſapit, angor, pœna, cruciatus eſt.

Cœnobitarũ hæreditas quæ.

B. Bernardus oculis languens Cœnobitas obſecrat, vt à præſulatu ipſum eximant, ſed ab iiſdem, & pontificij Legati authoritate iterum confirmatur.

CAPVT VIII.

CAriſſima luminis dona, quæ ab Oceano fulgentiſſimo diuinæ pietatis ſe iam hauſiſſe prodigioſo miraculo nouerat B. Bernardus in æternæ itidē bonitatis gloriam voluebat aſſiduè. Ipſe oculis diuinitùs illuſtratus, non niſi diuiniora è puro diuinitatis fonte ebibebat. Ex quo enim extitit videns, lacrymas quotidie coram Deo luminum Patre, coram Virgine piiſſima ipſius lucis genitrice, officioſiſſimas pro ipſo recepto lumine B. Pater effundebat, nec vnquam deſtitit ab huiuſcè vberrima lacrymarum ſcaturigine, vel retro

B. Ber. pro reſtituta luce aſſiduas in gratiis agendis effundit lacrymas.

actæ vitæ meditatione, vel beneficiorum Dei iugi memoria. Siquidem cetera inter munera, quæ B.Bernardo fuere collata, inexhauſtũ fuit lacrymarum donum; quarè eius oculi quaſi piſcinæ Eſebon ſoluebantur in fletus, quibus penè obfuſi oculi iá caligabant, & tabeſcebat viſus acies, ità vt cœcutiendo penè, & oculo hærens videret. Hanc cœcitatem, ſibi de ſe humiliter ſentienti ſuffragaturum ratus, rogat, vt alijs demandetur fratribus cœnobitis regendi prouincia. Satis ei, ſuperquè ſatis ſuæ imbecillitati datum tot annos in adminiſtratione tranſegiſſe. Iam benè currere aiebat ceteros ſocios, feſtinareque ad perfectionis brauium. Se ſolum dicit imbecillum, ſe inutilem ſeruum, qui ab alijs regi, & viam perfectionis ediſcere neceſſe habeat. Nunquam tamen Monachi B. Patris dictis, ac precibus acquieuere luminis defectionem non cenſent obeundæ prouinciæ, inſigni, & experto moderatori impedimento futurum. Mens eſt, quæ regit; oculus miniſter eſt fragilis; videat illa, caliget iſte, omnia erunt in luce. Exiguo lumine corporeo fruebatur B.Bernardus; mẽtali verò affluebat, & hoc omnium ſatagebat prouidentiſſimus totus oculeus. Verum vt omnis pauidæ, puriſſimæquè mentis ſuſpicio tolleretur, conſulunt Monachi Ioannem Sancti Theodori Diaconum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum à Summo Pontifice in Hetruriam miſſum. Purpuratus Princeps re optimè perſpecta, electionẽ à Cœnobitis habitam de B.Bernardo Generali Antiſtite, litteris

Cant. 7.

B.Ber. datur donum lacrymarum è cælo.

Ioannes S. Theodori Diaconus Card. Legatus Apoſtolicus in Hetruria.

typis

typis cuſis ratam voluit, Monachiſquè regendis aptiſſimum decreuit, cuius reſcriptum fusè habetur in noſtra Oliuetana hiſtoria libro primo.

Vtquè etiam eradicaretur omnis animi ambiguitas, ſciretquè B. Bernardus à Deo tanquam Aaron vocari ad regiminis munus; habita fuere conſilia Iuris conſultorum ea tempeſtate ſatis inſignium, Pauli nimirum de Azzarijs Decretorum Doctoris, Andreæ de Guãtarijs, & Dini Archiepiſcopi Piſani. Horum iuris Doctorum, & Theologorum de hac re decretum extat in eadem hiſtoria Oliuetana libro primo, pagina vigeſima, quod incipit: In Dei nomine Amen. Petitio religioſorum virorum, &c. Quibus omnibus clariſſimis diuinæ voluntatis ſignis adhæſit tandem B.Pater, fueruntq; acriores eidem ſtimuli ad perfectiora, & ſanctiora geſta. Humillimus ſenſus, quem de ſe ipſo habebat B.Bernardus in cauſa erat, cur facilè alterius Imperio, iuxtà Euangelicæ obedientiæ conſilium ſubeſſet. In omnibus verè glorioſus, ſeu parens, ſeu imparens.

Paulus de Azzarijs. Andreas de Guantarijs Dinus Archiep. Piſanus.

B. Bernardus ſocios Monachos Auenionem deſtinat, vt à Summo Pontifice diplomata impetrent, quibus ordo Oliuetanus, & priuilegia à Guidone Petramalio Arretino Antiſtite conceſſa confirmantur.

CAP. IX.

TEnellam ſui ordinis plãtam in Eremo ſacris Deiparæ Matris manibus beneficentiſſimè cõſitam, geſtiebat ſpirituali perfuſus lætitia Bernardus à Pontificio Throno cõfirmatam videre, ſperabatq; ſic benè omnia ceſſura. Conſiderabat .n. ſic probè cælitùs illã protegi, ſic belle florere; ſic amœnioribus virtutum omnium fructibus ditata. Contemplabatur quòd tot mundi aduerſa, tot hominum inuida molimina, tot Dæmonum ſæua machinamenta eam euellere, ac deſtruere haud valuere. Decreuit itaquè diuina prouidentia fiſus anno à virgineo partu milleſimo trecẽteſimo vigeſimo quatto aliquos è ſocijs, qui, & bona valetudine, & corporis habitu, mentiſq; ſapientia præſtarent ceteris deſtinare Auenionem; vt diploma impetrarent à Summo Pontifice Ioanne XXII. Caput eſt vegetans Apoſtolorum Principis ſolium, hoc Chriſtianæ Reipublicæ alimenta miniſtrat, & vitam hoc ſinè nec flos vllus ridet, nec arbor floret, nec matureſcit fructus,

Hiſtor. Oliuet. lib. 1.

Apoſtolica Sedes prabet alimenta, & ipſa vna verum tribuit vitam.

Ioan. XXII.

nec

nec vlla iacta ſemina reuiuiſcunt. Iſte optimo horum conſcius Bernardus, radices in Petri Sede, ceù feraciſſimo in ſolo, ſui ordinis voluit firmare radices. Pedeſtri ergo itinere miſſi duo Monachi Auenionem maturant tenui victu, precario pane contenti, litteras B. Patris Bernardi nomine, & totius Ordinis perferunt Summo Pontifici, ijquè enixè, & humiliter rogitant Oliuetani inſtituti confirmationem; quibus humaniſſimè exceptis, lectiſquè interrogat Beatiſſimus Paſtor de Bernardo, de ſocijs, de virtutum, monaſticæquè diſciplinæ incremento, & de ceteris, quorum bonus odor iam vndequaquè glorioſè peruaſerat, multiſquè alijs ritè expenſis, Oliuetanos religioſos Euangelicos nominauit, & Congregationem Sanctæ Mariæ Montis Olìueti confirmatam voluit; & quidquid eidem Guido Petramalius Epiſcopus Arretinus contulerat, habuit firmiſſimè ratum. Beneficia igitur, priuilegia, & omnia, quæ poſſidebantur à noſtris Cœnobitis in Acconenſi valle, vel in monte Olìueto comprobata fuere. Non poterat, ſanctis erectus ſpebus, gaudio non perfundi Paſtor Sanctiſſimus, quòd tantus candidiſſimi Ordinis fulgor (ipſo in Petri Throno ſedente) ſplendeſceret; & quod monaſticum inſtitutum in Italia penè euerſum, noua ſobole è tenebroſa caligine clariſsimam ad lucem emergēs conſpiceret. Quidquid Bernardus petijt benigniori diplomate elargitur, conceſsitq; humaniſſimè Pontifex Maximus, & plura inſuper, & inſignia priuilegia, quæ typis data memorantur pe-

Confirmatio Oliuetani ordinis à Ioanne XXII. Hiſtor. Oliuet. lib. 1.

Multa à Summis Pōtificibus, & inſignia priuilegia conceduntur. Confirmatur ordo Oliuetanus iterum à Clem. VI. Summo Pontifice.

culiari in libello, vbi omnia à Summis Pontificibus Oliuetanæ familiæ conceſſa recenſentur. Clemens verò VI. noſtri Ordinis beneuolentiſſimus anno à debellatis tartareis vmbris milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto, duodecimo Kalendas Februarij, die, quo feſtum Sanctæ Virginis Agnetis celebratur, eandem Oliuetanã Cõgregationem ſpeciali diplomate comprobat, & ampliſsimis priuilegijs auget, voluitq; itidem ipſe omnia rata, quæ conſtituit Petramalius de Cœnobio principe Montis Oliueti, & de vniuerſa Oliuetana familia, cui cõfirmauit omnia Cœnobia accepta, poteſtatemquè fecit de alijs recipiendis, & conſtruendis ſub regula, & inſtituto Diui Patris Benedicti. Feſtus dies Agnetis Oliuetanis eſt celeberrimus peculiaribus officijs, & ſacrificijs, ſacriſquè pompis vſquè ad hæc tempora. Iam anni fluxerant vigintiſex, quibus ordinem rexerat Beatus noſter Pater tanta vitæ integritate, ſapientia, & exemplo, vt iure ſanè optimo decreuerint cuncti Monachi vnanimi ſententia tribuere illi, dum vitam ipſe duceret, regendi ordinis imperium. Omnia ergo illius arbitrio dedere, vt ille nempè vnus ageret, pertractaret, diſponeret, approbaret, atquè improbaret, loca noua exhibita acciperet, vel oblata reijceret, petẽtes monaſticum habitum ſuſciperet, vel ijſdem efflagitantibus pro ſuo arbitratu denegaret; vt errantes, à regulæquè cuſtodia declinantes corriperet, puniret; vt miniſtros crearet, & pro ſuo libito amoueret; vt ipſe tandem totius concionis

Feſtus dies diuæ Agnetis Oliuetanis celebris.

facul-

facultatem haberet, niſi quòd ob viri tanti prudẽtiſſimam ſanctimoniam omnia conſona Dei voluntati eſſent futura: hæc fuſius in libro primo Oliuetanæ hiſtoriæ recenſentur. Leges ſanciuit hoc eodem tempore Beatus Bernardus Oliuetano ordini mirè proficuas. Cœnobiorum familias deſcribendas curauit, Monachos ijſdem Cœnobijs deſignauit diuino cultui deſeruientes. Iura defunctis Monachis, & de ijſdem benemeritis pijſſimè ſtatuit, vt ſacrificijs, precibuſquè adiuuarentur; multaquè tãdem cùm ad animæ æternam tũ ad corporis tẽporariã ſalutẽ attinentia ſtatuit. Vſquè adeò vnus eminens multis, & innumeris potis eſt prodeſſe. Habet hoc diuina prouidentia, vt millenos ſeruet per vnum, quod benè quotidiè in Cæli facie nobis exprimitur, atquè innoteſcit. Millena enim ex vno Phœbi bibunt fonte fulgores aſtra. Solis inſtar in candido amictu affulſit nobis Beatus noſter Pater Bernardus ipſe primus, & lucem protulit, & lucem contulit innumeris. Ipſe & radios diffudit, immiſitquè, & nunc auget amica fulgentia Cælo ſidera.

Multa B. Bernardus decernit Oliuetanis.

B. Bernardus vti Sol in vita monaſtica.

Plura Monaſteria ſuperſtite B. Bernardo Oliuetanæ Congregationi conceduntur.

CAPVT X.

TRacti Vrbium proceres cæleſti penè monaſticæ vitæ odore flagrantiſſimo gloria-

bantur, emulabantur certatim intra eorum iura confinium Cœnobitas habere Oliuetanos, à quibus antiqua illa ſacrorum clauſtrorum diſciplina effloreſcebat. Lateat imis, & profundioribus in ſpelæis virtus, ſurget, perquè omnes aduolabit oras ſonora fama. Primi ergo omnium fuere Senenſes, qui ciuis Bernardi vitæ, morum, ſapiẽtiæ, optimè conſcij præ ceteris acciuere Oliuetanos. Bonauentura (qui prima incrementa ſuo nomine fauſta fecit) Valcherinus nobilitate iuxtà, & pietate inſignis Senenſe Cœnobium à fundamentis erexit Diuo Benedicto ſacrum, Bernardo eiuſq; ſodalibus tradidit vnà cum redditibus ad vitam in contemplatione diuina tranſigendam neceſſarijs. Bello concuſſis Senenſibus, imperante Carolo V., hoſtili furore euerſum vnà cum templo Cœnobium extrà portam, quam Tufiam dicunt, priſtino ſplendori Noſtri reſtituunt, & per hæc tempora auguſtiùs ſplendet nouo adiecto ædificio. Suſpicitur in templo Sanctæ Catharinæ Senenſis tabula Mecharini, celebris pictoris opus, ſplendet odæum præ ceteris admirandum, in quo diuinas laudes diu, noctuquè perſoluunt Monachi. Præbuere ſe inſignes cum litteris, tum morum ſanctimonia, tum regimine noſtri Cœnobitæ Senenſes, in quos Beati Bernardi virtus ſeſe inſtillauerat. Senenſi ſuccedit Cœnobium Arretinum. Guido enim Petramalius illius Vrbis Antiſtes, & Princeps (cui, vt dictum eſt, Virgo Mater apparuit, præcepitquè, quid de Bernardo eſſet acturus) ceteros Tuſciæ Antiſtites, & Viros

Senenſes omnium primi Oliuetano ordini Monaſterium excitant.
Hiſt. Oliuet lib. 2. cap. 1.

Primum cœnobium Oliuetanorum Diuo Benedicto ſacrũ.

Guido Petramalius Antiſtes Arretij cœnobiũ nomine Sancti Bernardi Oliuetanæ Familiæ ſtatuit

principes ad nouam Monachorum cãdidam Sobolem ſuſcipiendam, amplectendam,non modò verbis,ſed & opere hortabatur, honorificum ſibi ratus, ſi latiùs effunderetur Oliuetanus Ordo, ad cuius exordia fuerat ipſe à Deipara tanquam inclytus coadiutor aſcitus. Extruitur ergo, Authore Guidone, Cœnobium Diüo Bernardo Claræuallis Abbati ſacrum inter depreſſa, & ſolitãria antiquiſſimi Arretij ſepta. Loci antiquitas venerationem præfert, præferuntq; monumenta plurima noſtri Beati Patris;per muros enim ſparſim cernuntur radiantes picturæ vetuſtiſſimæ referentes viuam Bernardi effigiem,modò concionantis,modò docentis,quæ ſunt eius inſignia, & laudum tubæ. Euocantur tertiò loco Oliuetani anno milleſimo trecenteſimo, trigeſimo quarto à nobilibus Florentinis, ab ijſdemquè traditur locus cuiuſdam Sodalitij è Ieſu Chriſti Seruatoris nomine dicti, vt idem priſtinæ pietatis feruori, è quo ceciderat,Oliuetanorum diſciplina ſeueriori reſtitueretur.Titulus tùm extitit Sãcti Bartholomæi in viridaria,nunc autem ex Oliuetanis incolentibus vulgò dicitur Monaſterium Montis Olíueti extrà Vrbem. Eſt porrò Cœnobium Florentiæ nobiliſſimum, & noſtrorum Patrum induſtria perexpolitum, gaudetquè peculiari magnorum Hetruriæ Ducum patrocinio, colle eminet pulcherrimo, è quo,tanquam ex alta ſpecula, floridum Florentinæ Vrbis ſpectatur theatrum. Acceſsit deindè Cœnobium Sanctæ Annæ in Camprena agri Senenſis Arretinæ tũc,

In Cœnobio Arretino multa antiquiſſima monimẽta de B. Ber. cernuntur. Hiſt. Oliuet. lib. 2. cap. 2.

Monaſteriũ in Florẽtina vrbe tertio excitatur Diuo Bartholomæo ſacrũ, nunc dicitur cœnobium Montis Olíueti. Hiſt. Oliuet. lib. 2. cap. 3.

nunc

Monaſteriũ S. Annæ in Camprena in agro Senenſi, cuius meminit Pius II. PP. Max. lib. 10. comm. 4. loco ab Oliuet. habetur. Hiſt. Oliuet. lib. 2. cap. 4. Verba Pij II, PP. Max. de monaſt. S. Annæ.

nunc Pientinæ Diœceſis. Huius Cœnobij (quandoquè & ad ſanctiora facinora ipſæ vocantur feminæ malorum duces) fundatrix mira fuit pietate Matrona q̃dam nobiliſsima, Vgatia nomine, Raynutij Ragnoni Patritij Senenſis, vxor. Huius Monaſterij meminit in ſuis Commentarijs Summus Pontifex Pius II. lib. 10. qui in eodem Cœnobio fuerat diuerſatus. Iter (inquit Paſtor ſãctiſsimus) per Monaſterium Sanctæ Annæ fuit illi (de ſe loquens) quod Monachi Religioſi colunt in monte lapidoſo, atquè admodum ſterili, quamuis ſua induſtria in parte aliqua feracem reddiderint, multaſquè ibi amygdalas plantauerint, & alias inſeuerint arbores, ex quibus partem vitæ traducunt, pium Deo famulatum exhibentes. Montis Oliueti horum Religio dicitur, &c. Aucti fuerũt redditus, vel cenſus à nobili Senenſe Ioanne Martinotio Oliuetanis, annuente Summo Pontifice Vrbano V. in cuius diplomate dicuntur Oliuetani ſpeculum, & exemplum obſeruantiæ regularis, & vitæ. Datur poſtmodum quarto loco Beato Bernardo, atquè Ordini Oliuetano, Monaſterium Volaterranum à Ramnuſio eiuſdem Ciuitatis Epiſcopo. Hic talibus litteris Bernardum, eiuſq; in Chriſto filios cœnobitas, compellat. Et quia vos Abbatem, Fratres, & Monachos Monaſterij Montis Oliueti nouimus experientia viros eſſe Religioſos, & ſanctæ conuerſationis, & vitæ, per quos erudiri Populus ad virtutes, & Clerus animari ad ſanctitatem poterit, & augeri verbo pariter, & exemplo; ac per vos meliùs reformari; nec

Diploma Vrbani V.

Monaſteriũ Volaterranũ quarto loco Oliuetanis erigitur ab eiuſdem Vrbis Antiſtite Ramnuſio. Verba Ramnuſij Antiſtitis. Hiſt. Oliuet. lib. 2. cap. 5.

ſint

ſint ad præſens alij Religioſi Diui Benedicti, aut »
alterius Ordinis, nec inueniri potuerint (itâ cor- »
ruerat in Italia monaſticum inſtitutum, regularis »
diſciplina) per vos, per quos poſſet ipſum reparari, »
& regi, ac ſalubriùs gubernari vllo modo facta »
ſuper his inquiſitione, &c. Tanta erat zelotypia »
tactus ergà tenellam illam plantulam, & morum reformationem Beatus Antiſtes. Ijs litteris rogatus Bernardus deſtinat Monachos, vt nomine totius Ordinis Cœnobium ab optimo Præſule datum excipiant, qui multis priuilegijs ipſum locupletat, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo trigeſimo nono. Additur prætereà cœnobium Sangeminianenſe, cuius Fundator fuit Ioannes Saluccius, & Margarita Bardia Florentina, ipſius vxor, qui pari prędita nobilitate, orant, & exorant Antiſtitem eiuſdem Ciuitatis, vt Beatus Bernardus ſuos compelleret Monachos in illam Vrbem admittendos. quod Beatus Pater ſumma totius præſtitit populi lætitia, & plauſu, templumquè Sanctæ Mariæ in Vico de Barbiano dictum eſt. Acceſſere cœnobia prætereà Sancti Donati de Fauce in Eugubina Diœceſi, cuius Author Petrus Gabriellius, eiuſdem vrbis Epiſcopus. Sancti Nicolai de Fulgineo à Paulo Trinacæo Antiſtite Oliuetano Ordini conceſſum. Sanctæ Mariæ in Domnica Romæ, hæc, pleraq; alia cœnobia Beato Bernardo, & Oliuetanæ tunc exortæ familiæ omnia penè Tuſciæ intra fines coercita, data fuere, & in eadem ſocios Monachos Beatus Pater deſtinauit. Ipſe vero ſæculi auræ infenſus ſem-

Monaſteriũ Sãgeminianenſe Oliuetanis erigitur. Hiſt. Oliuet. lib. 2. cap. 6.

Cœnobium Eugubinum à Petro Gabriellio excitatur eiuſdẽ Vrbis Epiſc. Monaſteriũ Fulginenſe, & alia. lege Hiſtoriam Oliuet. lib. 2. per totum.

B.Bern. ſeper ſe in ſolitudine Oliueti Montis continuit.

per ſe in Eremo continuit, & tanquam è centrò diffudit ad circumiecta cœnobia ſuæ ſeuerioris vitæ, & monaſticæ diſciplinæ exempla, ad cuius cuſtodiam iugi cura ſuos exhortabatur aſſeclas. Extant adhuc Beati Patris Bernardi non modò ad Monachos, ad Populos, ſed & ad principes ſæculi viros epiſtolarum faſciculi multi vndèundè charitatis viſceribus conſperſi. Nunquam etiã paſſus Beatus Bernardus ſui Ordinis loca intrà Oppidorum, vel vrbium mœnia erigi, vbi frequẽs turba; nihil enim cœnobiticum inſtitutum profitentibus perniciofius, nihil magis ad monaſticos pudores, vel mores violandos ratus, quàm inimici ſæculi, & malefidæ Babelis facies, & conſuetudo. Quod eſſe poteſt monaſticum ſilentium tantas inter ſtrepentium ſæculi fluctuum concuſſiones? Quæ eremitica pax tot inter tumultus? Quis regularis ordo, & conſtans perfectionis tenor tot inter Mundi turbas, & inſidiatrices illecebras? Sæculum videre, & odiſſe arduus conflictus, ardua pugna. Si ſæculi fueris contemptor, & ab eo aufugeris, ab eodem honorabere. Si honore illud proſequeris, ab eodem ſperneris. Nudis pedibus peſſundauit, calcauitq; ſæculum Franciſcus, adoratur Franciſcus à ſæculo. Terga vertit illi Beatiſſimus Benedictus, confluit ſuis opibus Mundus vniuerſus Benedictum ſanctiſſimum adoratum; terit pedibus ſæculum Bernardus, turmatìm ad Bernardum confluit ſæculum, & quas ſiluas, & rupium prærupta, Eremiticoſquè labores, ac pœnas odit Mundus, adorat tamen in ſolitudine de-

Multæ Epiſtolæ B. Ber. ad varios charitate refertæ.

B. Bern. ſua Cœnobia in ſolitudinibus erigenda curauit.

Monachos ſolitudo decet.

Mundus ipſa quæ fugit, & odit adorat.

gen-

gẽtium auſteritatem. Spargebant in terram pœnitentiæ ſemina Bernardus, & ſocij; ibant euntes, *Pſal. 125.* & flentes per deſerta loca, ferebant cineres, flagra, cilicia, ieiunia, macerationes, & lacrymas; ſed veniebant cum exultatione portantes manipulos ſuos, collecturi tandem fructus beatitatis. Pauperrimè viuebant, vel ex ſponte oblatis, ex ijs nẽpè, quæ illis pietas elargiebatur humana, vel ex ijs, quæ à prædiolis colligebant operantes manibus ſuis; tamen opiparè cæleſti nectare ſaginabãtur. Etſi in Mundo erant, tanquam non eſſent, humili faſtu illum calcabant pedibus, & facundius intonuit eorum ſilentium quàm eruditæ Oratorũ cõcionatorũ Tubæ; magis enim eorũ opera valebant, quàm aliorum grandiſona verba. Ea igitur extitere tantorum Patrum glorioſæ ſanctitudinis facta, vt, vita functo Anteſignano Bernardo, mirabili incremento eius ordo quaquè ſplenduerit. Pietas enim plurimorum Nobilium, & diuitum virorum clauſtralia plurima loca erexit, de quibus fuſiſſimè hiſtoria Oliuetana agit ſecundo libro per totum: quarè hic ea percẽſere arbitror ſuperuacaneum.

Ambitionis, & Auaritiæ tẽtatur B.Bernardus à Dæmone, ſed diuina gratia de vtraquè triumphum refert.

CAPVT XI.

Greg. Lomb. in vita B. Bern. lib. 3. c. 7.

Dæmon nobilem ſe tabellarium ſimulat ad B. Ber. pernicië

BEatum Bernardum ſpirituali, ac temporaneo regimine diſtentum duplici tentatione, vt à perfectionis culmine deijceret, atquè proſterneret, aggreſſus eſt Satanas. Quadam enim die cum de ſui muneris onere, & ſuæ imbecillitatis viribus nimiùm, vt ſemper, humiliter cogitabundus ſentiret, ecce quaſi de longè veniens vir equitans, aſpectu nobilis, more gallico indutus, ſeruorum numero ſtipatus affluenti, cum humillimè ad vſquè pedes veneratus nomine Summi Pontificis Ioannis XXII. ſalutem impertit; mox addit à Summo ſe Paſtore miſſum, vt nunciaret Auenionenſem Eccleſiam ſibi clariſſimæ famæ Cœnobitæ fuiſſe demandatam. Rumor, inquit, incorruptæ tuæ vitæ, optime Præſul, ſummæ in regendo prudentiæ, maximæ ſapientiæ amplitudinis, remotas Galliæ partes iampridem peruaſit. Summus Pontifex non aliorum precibus, quàm proprio motu te Epiſcopali dignitate cohoneſtare decreuit, ratus non ſub modio tantam tuæ virtutis lucem, ſplendoremq; obtegẽdum, ſed ſuper candelabrũ locandã, vt pluribus lucens, pluribus proſit. Nimis arctè inter cancellos, huiuſquè opa

cæ in-

cæ inter vallis fines,exiguum circà gregem,tanta ſapientia occluditur: paruum huic velum ſufficiet cœnobiticæ cymbulæ;carbaſa verò ingentia aptiſſima ſunt Petri naui mundi vndas circumuolitanti,ſonoras procellas ſpreturæ furẽtes. Ad res inclytas es natus,magna adito,& maiora tibi manebunt. Quid torpere in hoc ſilueſtri terræ angulo?Cur non turbidum nauigantem pelagus Petri cymbam tueris? Surge,tolle greſſus,accurre, euola quò Dei gerentis vicem mandata te aduocant.Parendum Beatiſſimo Antiſtiti eſt,deſerenda hæc tetra vallis, ad ſubſellium pontificium Aueniomenſis Eccleſiæ tu vocaris; ſic Petrus à Chriſto à piſcium ad hominũ rete ſuſceptus. Extrahit his dictis è pectore mendax Dæmon diploma piſcatorio obſignatum anulo, Bernardo oſtẽdit, aperit, legitquè totum. Precabatur intereà Beatus Pater Deum,vt lumen largiretur ad illius dignoſcendum conſilium, ſequè clanculùm in corde crucis ſigno munit. Aperit tunc ei Deus, nuncium illum ex inferis vmbris profectum,miniſtrum erroris,& fraudis comites,quibus cum aduenerat,perfidos item eſſe Dæmones;quarè tanto irradiatus Cæli lumine Beatus Pater ſic minitabundus reſpondit. Apagè male Dæmon,non hìc Dei ſeruos tentato. An oblitus,deſerto in loco tàm benè quondam fuiſſe te victum, & proſtratum? Chriſtum Ieſum,qui beauit Eremum, qui in eadem de te,vobiſquè,veſtriquè de Regno triumphauit, hìc adſtat, & excubat, ipſe vos ex hac ſolitudine arceat,eijciat,ipſe Ieſus. Ad tanti

Dæmonis fraudes cognoſcit B. Bern. cæleſti perfuſus lumine.

nominis ſonitum Dęmon nuncius vafer,detectas ob fraudes excandeſcens, & frendens vlulans in horribiliorem anguis figuram mutatus, vibranti lingua,tumido collo,igneis oculis ſtrepit, & perfurit, vnaquè cum fœdis comitantibus monſtris in Bernardum ſæuire cœpit, & facti dein gigãtes horribiles, ſiluarumq; fœda mõſtra,crebris,& diris verberibus terræ ſternunt ſemimortuum Beatum Patrem, & proculdubio interemiſſent, ni Archangelus Michael peculiaris Beati Bernardi Protector, & Eremi Patronus, adueniſſet, qui poſtmodum pretioſiſſimo liquore concuſſa, & tunſa Beati Bernardi liuentia membra vnxit, à quibus tumor omnis,ac liuor è veſtigio receſſit. Amica manus,quæ vel animi, vel corporis lethalia vulnera non reſtauras?

A Dæmonibus dirè verberatur B. Ber.

Archangelus Michael B. Ber. defenſor.

Omnia ex Greg. Lomb. vbi ſupra.

Altera die cum anceps eſſet,an cœptum Cœnobij ædificium ad finem quandoquè eſſet perducendum;fatiſcere ſiquidem videbat nonnullos in elaborando Fratres,qui extrema in pœnitentia extremos etiam auderent in manuum operibus labores:ſollicitus ergo de fabris lignarijs,de cœmentarijs, & de multis ad proſequendum opus, quæ haberi nequibant abſquè pecunia, turbabatur Beatus Pater,eũquè, hac iactatum cura, Dæmon malus Ambroſij Piccolominei, cuius ſatis dabat Beatus Bernardus cõſilijs, mentitus vultũ, adit,precatur ſecum per deſertum aliquantulum excurrat, in præcipitem rupem ducit,ibiq; agreſtes inter cæſpites,& horrida dumeta theſaurum, quaſi nuperrimè effoſſum,indigitat.O benefactũ!

Dæmon tentaturus B. Ber. Ambroſij Piccolominei vultũ ſimulat.

A Dæmone theſaurus B. Ber. oſtenditur, vt deſertũ deſtituat. Greg. Lomb. vbi ſupra.

non

nõ poterat alibi, quàm inter præcipitia,& ſpinas aurum,& gẽmas ipſe Dæmon oſtẽdere. Conſulit præterea, vt inſalutatis ceteris cœnobitis, exportaret theſaurum, & vnà ſimul, tanta vitæ auſteritate poſthabita, in Vrbem contenderet; at Beatus Bernardus diuino conſperſus lumine ſuaſionem pietati diſſonam audiens, ſigno ſe crucis, prout eius erat moris, primùm ſe muniuit, tum vade, exclamat, quiſquis es, nec bonus eris, qui aurum ſuades. Sanctam egeſtatem hic profiteor, Deo votus in hac ſolitudine, nec aurum, nec vrbem curo. Ad tartareas vmbras fuge velociter. Ad hæc verba vlulatu euanuit Dæmon, euanuere theſauri; Bernardus verò feruentioribus auſis, ſummæ diuinæ prouidentiæ fiſus, ad pugnas ipſa barathra laceſſere non formidabat.

Signo crucis B. Bern. Dæmonē fugat.

Sutrium petit B. Bernardus iuſſu Summi Pontificis eius pudicitiæ malus Dęmon inſidiatur.

CAPVT XII.

OPtimè callebat Ioannes XXII. Summus Pontifex quanta cùm virtute, tùm probitate emineret Beatus noſter Bernardus, & quanta præterea religioſa dexteritas viro ineſſet in rebus vel difficillimis pertractandis; hinc peculiaribus litteris ſub violandæ obedientiæ pœna Beatum Patrem Sutrium deſtinat, quæ eſt Ciui-

B. Ber in negotijs pertractandis magna dexteritas. Gregor. Lombard. in vita B Ber lib. 3. cap. 9.

tas Tuſciæ vetuſtiſſima, illiuſq; ſæpè meminit Liuius. Hæc ciuilibus diſcordijs crudeliter æſtuabat, quibus ſedandis nullus prorſus erat modus; Iuſſus ergò Beatus Bernardus arduam eam expedire Prouinciam, pacem nempè componere, & ciues inter infirmata amoris, & mutuæ beneuolentiæ fœdera ſtabilire. Illuc ſe confert ſatis nutibus pontificijs facturus non minùs, quàm charitatis præcepto, quo feruenter ergà proximum flagrabat. Quietis igitur, & pacis cultor mirus omnia placidè mira integritate ſedauit; inter inueteratos hoſtes ferrum, & faces anhelantes, amicam pacem, euangelicam charitatem inuexit, commonſtrans modò familiarum orbitates, & inextinguibilia incendia, & probroſas ruinas, modò ipſius Patriæ lacrymandum excidium, & præ omnibus animarum, quæ Cælo creatæ ſunt, quæ Chriſti ſanguine profuſiſſimo redemptæ, iacturā. Lacrymis fatebatur, nullam in ferro eſſe ſalutem, pace orbem regi vniuerſum. Exterorum hoſtium armis ſeueriora, & atrociora eſſe arma domeſtica. O ferinam legem, ad putreſcenti medendum vulneri nouas ſemper moliri interneciones! O inhumanum vnico pro crimine tot inſontium capita mulctari! Satis eſſe ſæuitum. Magnanimi pectoris eſſe offenſas negligendo condonare. Chriſtiani athletæ inteſtinis animi obluctari ad victoriam certaminibus. Tanta fuit dicendi vis Beati Patris vt, quod vellet, exoraret, vt celeriter euaneſcerent odia, iræ, & efferatiſſimæ hoſtilitates. Affulſit illicò ſub noſtro cæleſti Hercule di-

Pacem inter hoſtes firmat B. Ber.

uinus

uinus radius pacis. Retulit poſtmodum inexpletas gratias ciuitas omnis Summo Paſtori, quod tãtum virum, tàm fauſtam alitem, tàm benignum ſidus, Sutrium miſiſſet. Pontifex verò maximus Beati Bernardi prudentem admiratus probitatẽ, paternum ergà eum amorem mirè auxit. Verum ſub iter non defuere in Bernardum mali Dæmonis machinamenta ſęuiſſima; per Solis enim occaſum cum Volſinium, Hetruriæ oppidum, miſerrimi Seiani Patriam, perueniſſet, recepiſſetq; ſe in humiliori tecto noctaturus, feſſus pedeſtri, & mendico itinere, in laſciuientem feminam, mali Dęmonis miniſtram, gradum offendit. Pergit ad virum impudico oculo petulans mulier, illum plurima prece aggreditur vehemẽtiſſimè, nihilq; reliquit ad labefactandum illius caſtimonię bonum odorem pedore libidinis. Verè Dæmon erat in femina, dum Bernardum ętate, anniſq; grauatum, & auſteriſſima pęnitentia perfractum, macieq; ſqualentem, libidine tentare audet. Senes ediſcant in portu nõ eſſe, quando annoſum Beatum noſtrum Patrem tàm ſęuè effrons ſcortũ, vel Dęmon ipſe adoritur. Captas auram? Timeto ab hoc halitu tartareo. Spiras adhuc? Hoſtis huius tecum commorituri anhelitus peſtiferos expaueſcas. Beatus noſter Bernardus pauidus, algens, diuina ope fretus ad bonam frugem malam feminã adhortatus, crucis ſigno dimiſit, eiecit; illa tamẽ, ductore Satana, vix lapſa erat horula, iterũ regreſſa ardentiùs arietare conatur viri pręſtantiſſimi conſtantiã. Beatus Bernardus feruẽtiùs in-

Laſciuia tẽtatur B. Ber.

crepans, iramquè Dei, ac ſæuiſſimas Inferi pœnas minitans, iterato Crucis ſigno, exturbauit; nec tamen toties eiecta deſtitit famoſa mulier; tertiò enim noſtrum Ducem humi iacẽtem adit. Quid non audet? Quid non molitur Satanas cõtra Dei ſeruos? Impudentiſſimè reuerſa eſt conſecuturam ſe rata vi, & furtim, quod blanda precẽ, & apertè nequiuerat. Beatus noſter Bernardus ſtupẽs peruicax illud peſſimæ mulieris ingeniũ, nihilq; & hortamẽtis, & minis ſe profecturũ, arrepto bacillulo, cui gradiens adnitebatur, in illius caput illiſit, clamans (imitatus Bernardum Claręuallis Abbatem ſanctiſſimum) accurrite, aduolate, tenete furem, iniquum furem, furem pertinaciſſimum. Feſtinat hęc inter prępropera viam peſſima mulier ter euicta, effecitq; Beatum noſtrum Patrem triplici victoria de inferis triumphantem; neque enim pręlianti, ſed illi, qui fidè perſeuerat in pugna, manent trophęa.

Vidit B. Bernardus Empyrij Reginam, à qua tutus de ſua ſalute redditur.

CAPVT XIII.

Greg. Lomb. lib. 3. cap. 8.

IMmenſo pietatis ardore ergà Beatiſſimam Deiparam Virginẽ deflagrabat Beatus Bernardus. Ad illam quacumq; in re, vel aſpera, vel atroci, fidenti animo obſequioſiſſimè confugiebat, eam ſæpiſſimè ſic largo lacrymarum imbre

venerabundus orabat. Tu, inclyta Virgo, gratias quaque effundis, in mari, in monte, in ſolitudine, in turbis, inter lucos, & nemora, inter Vrbes, & oppida, hoſtes inter, & feras. Tu infirmis cęleſti medicamine accurris; tu cadētibus diuino auxilio adſtas, tu preſſis beato leuamine feropem, te nunquam inuocans expertus eſt ſocordem, vigilem quiſquè, & amantiſſimam ſemper te ſenſit. Adſtato mihi clemens miſerrimo ſeruulo. O admirāda tutelaris, & ſoſpita nunquam capias mei obliuionē. Celebrabatur ſolemnis dies ęthercam in aulam Aſſumptæ Virginis; & cum hoc myſterium contemplaretur impenſiſſimè Beatus noſter Pater Bernardus, precabatur dein pientiſſimam Virginem, vt ei faceret ſua benignitate notum, an quæ ipſe præſtabat, grata ſibi, eiuſquè Filio forēt, quiduè de propria ſalute eſſet futurum. Tanti ſiquidem animam Dei ſerui æſtimant, vt à quocumquè leuiſſimo euentu ſæuiſſimam timeāt calamitatem, iacturam. Qui ſeipſos poſthabent miſeri, & terrenis ſordeſcunt illecebris, rem tantam nec vident, neque curant. In ea mentis ecſtaſi, & feruentiori contemplatione apparuit ei Beatiſſima Virgo, qualis, & quanta in Cælum quondam translata viſa fuerat Cęlicolis. Stipabatur Angelorum candidiſſimo exercitu, aureis nitebat in veſtibus triumphalibus, radiorum, gēmarumq; lucidis fulgoribus renidebat tota. Nūquam mortalis oculus talia conſpexerat, calcabat argenteam Lunam pedibus, erat circumuallata auricomo Sole. Caput redimitum ſtellis

Die Aſsūptæ Virginis in Cælum eadē B. Bern. glorioſiſsime apparet.

Greg. Lombard. vbi ſupra.

Cc duo-

duodecim, quæ purioribus aſtris inijciebat ruborem. Cæleſtes circum aligeri ſonoris concinebant fidibus harmonicis, replebantq; aera omnē diuiniſſimis plauſibus. Inter ſceptra, & plectra erat Auguſtiſſima Virgo; ad ſuauiſſimum concētū, & iucūdiſſima ſpectacula videbatur Bernardo obfuſo dulcedine in ipſo Empyrio eſſe; ſed cum non poſſet linguam rumpere, & Mariam adſalutare ſummo ſtupore oppreſſus (nequè enim immortales voluptates ſuſtinēt corda mortalium) tunc ipſa Virgo Deipara vltrò Bernardum compellat, & in eiuſmodi voces prorumpit: I, ſequere Bernarde, inceptum iter. Accipies cælites inter Heroas tuorum laborum præmium glorioſum, à Mundi conſtitutione paratam in cælo beatitatem aſſequeris. Chariſſimo viſcerum nato meo, mihi, totiquè cæleſti Curiæ grata ſunt opera tua. Electus es, Diuinæ æternùm plaudito clementiæ. His dictis diuiniſſimo interfulgentiſſimas nubes euanuit viſio. Beatus Bernardus interim animæ ſuæ dulciter loquebatur. Quàm pulchra, & decora, quàm felicia, & beata, quàm admiranda ſunt cæleſtia, quàm beati Cæli incolæ; ſordeſcant tibi hęc ſublunaria fragilia. Melius certè eſt per horulam Cæli limina tāgere, quàm hìc ſublimioribus, regijſq; in Solijs eſſe ad annos longæuos. Quid tibi cum Mundo? Quid cum carne? O Deus? O Deipara? Beatus Pater Bernardus auctior ex hac viſione virtute factus videbatur ex ipſo aſpectu, magno ex lucis Regno rediiſſe ad idē regreſſurus greſſibus feſtinātibus.

Qua-

Quædam arcana Deus B.Bernardo ante obitum manifeſtat.

CAPVT XIV.

DIes Veneris maioris hebdomadæ pallore, & planctu circumobducta illuxerat. Bernardus ante pedes Chriſti Domini Cruci confixi flexus genibus orabat, & irriguis lacrymis amariſſimam Seruatoris collacrymabatur paſſionem. Penſitabat ſingillatim tot Ieſu dolores, tot pœnas, vulnera, irriſiones. Cum ex ea ſacratiſſima Imagine hæc audiuit in illa amoris, dolorisquè ecſtaſi. Bernarde, noſco, nimia tenereſcis ergà me Mundi Redemptorem, pietate. Video oculos tuos vndantes fletu pluuios fontes. Cerno è pectoris fornace anhelantia tua ſuſpiria. Mea in te munera, mea ergà humanum genus beneficia, tàm gratè rependes, recenſes. Dona augebo, addam præmia, cum tàm benè reſpondeas. Hauri animo, quę nunc tibi pando. Creſces tu cum tua Sobole integritate, exemplo, virtutibus cunctis. Requirēr, & aduocabunt filios tuos viri principes, & proceres, & populi. Current in odorem monaſticæ diſciplinæ, ſanctæquè vitæ. Sed, deplorato Bernarde, erit enim tempus, quo ab antiquis, & ſanctiſſimis inſtitutis ſeuerioribus recedet tuus Ordo, non perſeuerabunt tui ſucceſſores in hac arctiori, in qua nunc ſunt, vitæ au-

B. Bernardus Chriſti paſſionem flebūdus meditatur.

Chriſtus benedictus B. Ber. alloquitur.

Gregor. Lombar. lib. 3. in vita B. Ber. cap. 11.

Multa diuinitùs nouit de ſuo ordine B. Ber.

ſteritate. Sed lætare iterùm, nam chariſſimæ meæ ſub Genitricis auſpicijs reſurget ſemper tua Soboles, eritq; meæ Eccleſiæ peculiaris fulgor. Sic alloquebatur tanquam amicus alterum amicum Chriſtus Bernardum, reuelauitq; plurima ſchiſmata, & ſciſſiones in Eccleſia, futuras inſectationes in Summos Pontifices, regreſſum ſanctiſſimæ Sedis Apoſtolicæ Auenione Romam opere Sanctæ Catharinæ Senenſis. Sic multa detexit de Sanctis Senenſibus, & quanto futuri emolumento eſſent Eccleſiæ. Superaddidit vniuerſalem luem qua vexãda erat Italia, peſtiferas Senæ contagiones. Multa inſuper de fame, bellis, incẽdijs, necibus in italicis plagis; multa de factionibus, cladibus, falſis ſeductoribus, fidei perduellibus, Eccleſiæ calamitatibus in Anglia, Flandria, Gallia, Germania, multiſquè alijs in locis differuit. Lacrymabatur ad hæc profusè Bernardus Beatus, texitq; omnia ſummo venerabundus ſilentio; morti tamen, & tandem proximus Cycnus feliciſſimus, qui moriens cantus recinit diuinos, quæ audiuit, aperuit.

Diuina ſecreta humili ſilentio contegit B. Ber.

Apparuit B. Bernardo Diuus Benedictus, eiq; diem ſui obitus patefecit.

C A P V T XV.

ANnus noſtræ ſalutis milleſimus trecenteſimus quadrageſimus octauus agebatur,

cum

cum Deus etſi pius,& miſericors,tamen aliquãdo Iudex, & Vindex totam Italiam peccatis fœdam, ſceleribuſq; ſordeſcentem vbiquè flagello ſæuiſſimo peſtis diuexabat. Tanta erat hominum nequitia,vt nequiret,niſi generali abſumi contagione. Vita hominum tàm obſcœna,vt communi morte videretur ſolummodò depuranda. Rogabant viri ſancti, & præſertim Beatus Pater noſter ſupinis ad Cęlum manibus veluti alter Moyſes, vt Dei ira ceſſaret à Populis, à Prouincijs tàm miſerè corruentibus.Non ſinebat ardentiſſimis lacrymis diuinam clementiam ſuppliciter orare, vt vindictæ gladium pietatis in vagina reconderet. Oranti ergò ſolemni, & feſtiua die glorioſiſſimo ſacra Diuo Benedicto, Monachorum Patri, apparet idem ſanctiſſimus Patriarcha gloria vndequaquè præcinctus aurea, & cæleſti interfuſus lumine, ſicquè illum eſt alloquutus. Fili Bernarde ad arboris radices ſecuris peruenit, iam Deus Italiam ſuis flagellis plectere decreuit,iam ſanctum indixit bellum,tuq; tuiq; filij in Chriſto geniti voluntati diuinæ inhærere debetis. Ne pro corporibus ſeruandis preces amplius effundite, pro tot miſeris animarum fluctuantium turbis,ſceleribus exagitatis,diuina viſcera obſecrate. Peribit quoad corpus vnà cum impio iuſtus, iã vidiſti, & in dies videbis dehinc. Tu etiam Creatori tuo vitam reſtitues die Auguſti vigeſima.Sic iubet,ſic decernit Deus. Lætare, pro tua Anima ad Dei volatura ſolium deſcendent cæleſtes Aligeri,veniet Bernardus Cla-

B.Ber. preces Deo effundebat pro lue Italiam Tuſciam, & Senēſem Rempublicam diuexante.

Sanctiſſimus Patriarcha Benedictus B.Bern. alloquitur.

Greg. Lombard. in vita B.Ber. lib.3. cap.15.

ræuallenſis Abbas, quem præcipuum colis Patronum. Adſtabit defenſor, & ſtellatæ viæ lucidiſſimus comes. Eſto fortis, & robuſtus, lumbos prçcingito, & attollito facem per hoc breue tẽpus. Eſto in aduerſis conſtans, egenis conſulito, accurrito miſeris. Merces tibi magna manet, & cita manet. His prolatis, in tenues iuit viſio nebulas. Vocem eleuat tùm Bernardus ſublata ad ſidera vtraquè palma, atquè in hæc prorupit. Amor ſancte, amor dulcis, ſuauis amor, quò me vocas? En venio, venio. Vror mi Deus, vt tua facie perfruar, poſthabeo terrea, cæleſtia intuens. O inclyte mi Patriarcha Benedicte, ter benedicte. O verè Pater, qui tàm paternè ergà me te geris. O vtinam ego dignus filius tuus. O Sanctus Nuncius accelerato, quas dixiſti vias, dies, horas, momenta, ardeo, langueo, conſumor, offertur mihi iam nunc quod tàm longo temporis interuallo exſuſpiraui toties. Eiuſmodi preces, & ſuſpiria cœpit dehinc Beatus Pater ſanctiori diſciplina, & feruentioribus operibus comprobare. Incumbebat totus ad pietatis opera, ad lõgiſſimas orationes, & ad animarum languentium ſalutem. Pulcherrimus phçnix diuinos inter ardores è ſuo cinere aucupaturus vitam, aduolaturus ad vitam.

B. Bern. pro Nũcio mortis lætiſſimus

Moriturus B. Bern. impenſiùs in charitatis opera incumbit.

Cænobitis ad infirmos peſte laborantes deſtinatis, in ægrotantium opem ſe totum confert B. Bernardus.

CAPVT XVI.

POſt exceptam cęlitùs viſionem, & de ſui obitu propinquo reuelationem, toto eo Martij, vel potius Martyrij Menſe in oratione, contemplatione, pietatiſq; operibus ſuprà conſuetudinem perſeuerauit, carnemq; etſi ætate flaccidam, pallentem, inſolitis tamen afflictationibus premebat, vt humanum corpus, quaſi in Angelicam ſpeciem commutaret. Interim ſigna dabat clariſſima immenſæ cordis lætitiæ ex conſideratione auditi Nuncij, quod ſcilicet breuiſſimè carnis inuolucris, mundaniſquè fallacijs exſolutus, Dei conſpectu eſſet fruiturus. Quarè initio menſis Aprilis in vnum Monachis ante ſe conuocatis, ſic cœpit. Veriſſimum eſt, Fratres, & Filij dilecti, vt mea viſcera, Deum ab homine perfectè amari haud poſſe, ſi perfectè proximus non diligatur. Nec benè quis Deo deſeruit, qui proximum deſerit, eiuſquè neceſſitatibus non auxiliatur, non accurrit. Si bellua in præcipitem foueam incidens, aut ſub ſarcina fatiſcens, adiuuanda amica manu; quanto magis homo ad Dei imaginem conditus, ſi neceſſitate prematur? Homo, cuius finis æterna beatitudo; Homo, cuius anima

Greg. Lomb. in vita B. Bern. lib. 3. cap. 16.

Noluit B. Ber. ſine pœnitentia ab hac vita diſcedere.

B. Bern. ſuos Monachos alloquitur, & ad charitatis opera, infirmoſquè adiuuandos peſte laborantes hortatur.

Dei ſanguine redempta eſt. Pſaltes ille regius videns populum languеſcentem, morientem, rogabat, vt diuina pietas vltionis virgam ab eodem auerteret, ad ſe ſolum conuerteret ardentiſſimo charitatis igne. Quis ergo noſtrùm erit, qui Chriſti ſectamur veſtigia charitatem nos docentis, qui pro tot ſeruandis animis hoc luis tempore nolit ſanguinem in vndas effundere, millies obire mortem? Chriſti exemplo per oppida, & rura, per compita, & vrbes feſtinemus, famulatu humillimo, operibus ſeruilibus, adhortationibus pijs, ò filij mei, ſeruiamus languétibus, ne, nullo iuuante, ſine ſpe pereant, & vna cum corporibus animas amittant. Vobis autem ſingulis Dei nomine firmè ſpondeo, quod dum in hiſcè operibus impliciti eritis, nemo ex vobis ſubiacebit morti, etſi conſideré, vos charitatis ſtimulis ad illam alacriter ituros. Redibitis, Deus mihi dicit, incolumes. Intuitus eſt Beatus Pater in cœnobitico grege animi hilaritaté, & ad tabefactos adiuuádos benè cunctos paratos: quare illos, ſicut Chriſti Diſcipulos, & Apoſtolos binos miſit, vt ægris opere, & ſermone opitularētur. Ijſdemq; dimiſſis mádat, vt die ante puigiliũ Sáctiſſimæ Virginis Matris Aſſumptæ in cœnobium ſe cõferát. Ipſe autē vt optimus Dux ante omnes ſua exequitur iuſſa, & vnà cum pauperculo ſocio ad infirmos curandos properat. Quot verò efficacibus exhortationibus adiuuerit, quot è mortis faucibus vindicauerit, quot fuerit perpeſſus labores diu, noctuquè quaquè vocatus, quot proprio exemplo ad exi-

B.Bern. ſuos Cœnobitas tutos reddit de non contrahenda lue tabefactis deſeruientes. Gregor. Lombard. in vita B.Ber. lib. 3. cap. 16.

B.Bern. omnia pietatis opera tabefactis exhibet.

mia charitatis opera inflãmauerit, quot inſignia argumenta præſtiterit fortitudinis, tolerantiæ, paupertatis, humilitatis difficile dictu eſt. Expectantq; hęc omnia calamum eruditiorem, feliciorem. Inter centenos tabefactos tuto greſſu obambular, vulcus palpat horrendum, totus amor medicas apponit manus, & leuamen quodquè fert. Verè fortiſſimus Chriſti athleta Bernardus, cuius charitatem nec pericula, nec mors tepefaciũt. Phœnix diuini amoris feſtinat ad obitum, & nonniſi inter flammãtem dilectionis rogum mori exardet. Viues immortalis, qui lucidas inter iſtas flammas interitum anhelas. Te Sol diuinus à tanto charitatis fulgore expectat redeuntem, vt te æthereas inter illas flammas parili ſtatione æternùm faciat fortunatum.

Tertiadecima die Auguſti Monachis Senas in Cœnobium Diui Benedicti aduentantibus diem, horamquè ſui obitus B. Bernardus aperuit, animamq; eius puriſsimam effudit.

CAPVT XVII.

IN vnũ collecti Monachi in cœnobio Sãcti Benedicti in teneros cæleſtis ardoris amplexus effuſi, Deo gratias reddidere, ꝙ poſt exantlatos

ergà miſeros ægrotos labores innumeros, quod in tanta tabefactorum multitudine, & putreſcentium cadauerum aceruo, nemo perijſſet, vt prophetico ſpiritu illis Beatus Pater prædixerat. In peruigilio ergo ſanctiſſimæ Virginis Matris Aſſumptæ congregatis Monachis ſic ſuprema concione exorſus eſt, & locutus Beatus Bernardus. Munus eſt boni Patris, atquè Paſtoris à Filijs, quibuſquè ſuis diſceſſuri aliqua præmonere, quæ vtilia, quæ ſancta ſint. Abiturus ſum ego, ò Filij, quos Deo peperi, ab hac mortali vita, iam mea mors imminet, grandis reſtat mihi via, ex hac humili terra ad Cæli apicem. Vt autem lætior ante diuinum tribunal ſiſtam ad veſtra prouolutus genua, irriguis lacrymis vos obteſtor per Chriſti crucifixi viſcera, vt mihi ignoſcatis quidquid mali ergà vos peregi, ſiquid ore mali protuli, ſiquid opere mali detuli, ſiquid inſcius non boni, vel omiſi, vel commiſi. Ignoſcite vas iniquitatis ego ſum peccato obnoxium; nam cum inutilis eſſem ſeruus (parcat vobis Deus) me ſuper gregem veſtrum conſtituiſtis Principem. Homo extiti, nihil à me humanæ miſeriæ alienum puto, plurimo crimine ſcatui, ad malum feſtinus, ab bonum torpens, ni Deus ſuæ pietatis manus exhibuiſſet. Obſecro vos extremis hiſce colloquijs, ſiquid meum ergà vos amantiſſimum ſtudium, ſiquid veſtra integritas poteſt, & charitas, vt condonetis mihi culpas meas. Præ omnibus amate, & timete Deum, nihil Dei amore pretioſius, nihil Dei timore ſapientius. Credite, omnia, præter

B.Ber. morituri ad Cœnobitas omnium ſuprema concio.

Greg Lombard. in vita B.Ber. lib. 3. c. 16. & 17.

Mira B.Ber. humilitas.

Deum,

Deum,qui verè omnia eſt,eſſe nihil.Pro Deo cõtemnite terræ ſcenica oblectamenta,laruas inanes,fugitiuá mendacia.Paruipendite pœnas,tormenta,Tyrannos,ludibria,& quidquid moliri ipſa poſſunt Tartara. Recogitate hominum, vel Dæmonũ molimina,& vires non poſſe vobis auferre, niſi hanc breuem, & ſe ipſa fugaciſſimam vitam,& mundana hæc conſtanti curſu labentia. Vera animæ vita ipſius Dei eſt; qui illam vel ad barathra date poteſt ob crimen præcipitem, vel immortalem illi conferre gloriam, ſi ſtrenuè certauerit. Omnia ergo pro anima poſthabenda. Quid corporis robur,quid diuitiæ,deliciæ,pompæ? Omnia tandem cinis, vmbra, vapor, nihil. Cuſtodite Filij mei regulam Diui Patris Benedicti, quæ nobis à Deipara cuſtodiendá fuit exhibita, in illam dirigite mentis obtutum, ſit vobis militantibus pro Ieſu,pro Eccleſia,pro monaſtica diſciplina, pro veſtris animis,militare vexillũ, labarum auguſtiſſimum. Egregiam præſtate Superioribus veſtris obedientiam,ſicut mihi viginti ſeptẽ annis, quibus veſtri curam habui, paruiſtis. Vos inuicem euangelica diligite charitate; ea enim ſi inuicem,vt par eſt, colligabimini,potentes eritis in Domino,& inuincibiles creſcetis de die in diem, augebitur charitate noſter Ordo, ſecus ſi in dilectione tepueritis, minorabimini, *Lucæ 11.* deſolabimini,dicente Ieſu,omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Eſtote pauperes,ſplẽdidoq; animo negligite omnes, quas conferre poteſt Mundus,diuitias;tunc enim diuites eritis,quan-

do animas lucrabimini veſtro exemplo, veſtris p̄cibus. Sitis vigiles, nè ab immaniſſimo mortalis generis hoſte, qui ſemper circuit quærens quem deuoret, decipiamini. In Fide fortes eſtote, & ad mortem libentiori memoria animum figite, ſit eius meditatio peculiaris veſtra ſcientia, qua docti ſapientiores eritis ijs, quos ſapientes Mundus ſtolidus veneratur. Pleriquè veſtrùm vitam commutabitis citiſſimè, à tenebris ad lucem profecturi eſtis, à malis ad bonum, à bello ad pacem, ab aduerſis ad ſolamina, ab vmbratili morte ad veram vitam vocabimini. Ante, & poſt meum obitum, nonnulli alij ex hac vita diſcedent vniuerſali hoc peſtis flagello Mūdi è peccatis exorto. Craſtina albeſcente luce, cum ſit ſolemnis Virginis Matris in Cælū Aſſumptæ feſtiuus dies, operibus ſanctis in eiuſdem Virginis gloriam alacriùs inſiſtamus omnes. Ipſa Beata Mater, & me vobis dedit, & me nūc vocat, & pro veſtrùm omnium ſalute tota pia excubabit tota miſericors. Non poterant ſancti illi Monachi, hæc Beato Patre memorante, continere lacrumas, cumquè audirent imminere tanti Patris obitum excruciabantur, ſiſi tamen diuinæ clemētiæ eiuſdem voluntatis ſenſum retinebant vnanimem. Die igitur immaculatæ Matris Virginis aſtra ſuper, choroſq; ſuper Angelicos translatæ, Beato Patre iubente, omnes Monachi retroactæ vitæ vel ipſas labeculas lacrymoſiſſima confeſſione expiarunt, diequè ſequenti Diuo ſacra Roccho religioſos viros peſtis inuaſit, & ante decimum

Plurimorum Cœnobitarū futurā mortem denunciat B. Bern.

octauum diem eiuſdē menſis plurimi ex ijs obiere Cœnobitis, vt Beatus Bernardus prænoſcens cælitùs prædixerat, iuxtà cuius prædictionem, etiam alij, vita functo Beato Patre, conceſſere Fato. Ipſe verò omnibus cōtagioſo morbo preſſis perimmenſo ſpiritus ardore deſeruiebat, ſolabatur, naturæ verò deniquè cedentibus ſepulcrales honores ſoluebat, vltimaq; chriſtianæ pietatis officia religioſiſſimè præſtabat. Appetente autem die Auguſti decima nona ſui obitus benè conſcius lectulo ſe compoſuit paupertimo, & pœnitenti. Ibi ſtatim ſanctiſſima Eccleſiæ ſacramenta flebundus rogitauit. Euchariſtico pane genibus prouolutus, obfuſus lacrymis vberrimis, & ardentiſſimis ſuſpirijs, purgata leuiſſimis maculis anima, piè ſatis reficitur, ſācroq; oleo perūgitur. Incipiebant vires abſumi, animus tamē ergà Deū ardentior. Ligneam crucem, in qua Seruator humanæ mortalitatis pendebat crucifixus ſanctè amplexus, ipſum Ieſum, & foraminata illa membra ſæpiſſimè deoſculabatur, inclinabatquè languidum caput animum efflaturus; præferebat purioris amoris notas pijſſimas, ſolutus in ſanctiſſimas voces, & dulciſſimos planctus. En dies, aiebat, mihi omnium chariſſima, ò mi Deus, ò mi Amor. En dulciſſima dies. O me felicē inter hæc tua viſcera pro me laniata flagellis, & ferro, quā libēter exſpiro: ſint meæ animæ tumulus tua vulnera. O Ieſu, Ieſu, Ieſu accelera, cur tardè mecum agis? Langueo, morior, quia non morior, exſolue hanc animam, moriar Ieſu mi, vt tecum viuam.

B. Ber. tabefactus lectulo decumbit Eccleſiæ ſacramēta petit, & accipit

Inter Crucifixi amplexus mortem exſuſpirat.

uam. Tu vita, te ſine pœna omnis hæc vita eſt. Die poſtmodum vigeſima Auguſti Diuo Bernardo ſacra, anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octauo, perſolutis Primæ à Monachis pſalmis, & precibus iterum eos ad ſe aduocari præcipit, oratque, vt ſecum in ardentiori oratione per illud breue vitæ ſpatiolum perſiſtant. Precatur, vt pro animæ ſuæ egreſſu Deo viuidas preces effundant. Solanſque gregem, nè de ſua morte triſtaretur, pia monita dedit, & ad pacem filios adhortatus, eleuatis in Cælum oculis, ridenti vultu; tanquam Angelus æternitatis clareſcere videbatur; ſicque orantibus, & pſallentibus Monachis pijſſimus Pater, Bernardus Beatus, efflauit animã. Anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto. De cuius egreſſu ſic refert Arnold⁹ in ligno vitæ.

Exorat B. Bern. Monachos, vt pro ſua animæ egreſſu Deũ precentur.

Obitus Beati Patris Bernardi.

Arnoldus in ligno vitæ lib. 2.

Inter pſallentium Filiorum manus ſimul, & mærentium, & inter verba orationis gaudens in Domino, & exultans beatum ſpiritum reddidit Creatori ſuo. Anno, quem ſupra notaui. Perge, ſanctiſſime Patriarcha, quo te Deus, te tua virtus inuitat, quæ toties anhelabas iam felix, iam tutus poſſidendo vides. Sis etiam felix tuis, & te nè vnquam noſtro ſubtrahe patrocinio. Decens extitit, Auguſti te menſe mori, qui monaſticam auſteritatem feceras auguſtam. Tu viuis extinctus, adſtato ſemper nobis vera vita non dum viuis, vt tecum veri viui æternùm ſimus. Concutitur interim, audito B. Bernardi obitu, Senenſis Ciuitas luctu, ſtatque vbique mœror. Defleuere Senenſes ereptum ſibi Patriæ decus, munimentum,

B. Ber. obitus ab omnibus pias lacrymas excutit.

morum

morum exemplar, ſpecimen charitatis. Ingemuit Oliuetanus grex ſuo orbatus Paſtore. Nemo illo mortis nuncio non effuſus in lacrymas. O quã benè viuunt, ò quàm glorioſè ſerui Dei animam afflant.

De quibuſdam miris poſt B. Bernardi glorioſum obitum, & de eius tumulo.

CAPVT XVIII.

MAnifeſtauit Deus Beati Patris glorioſum tranſitum plurimis monaſticæ vitæ auſteritate inſignibus Monachis. Fratri Pio Tancredo Senenſi, Fratri Alexandro Meſſanenſi, & Siluano Alemanno. Hi omnes, præter alios plurimos, adfuere Beati Patris obitui, hi multis poſtmodum retulere, ſe conſpexiſſe eodem in inſtanti horæ nempè tertiæ, qua Ieſus immiſit ſanctum Spiritũ Apoſtolis, eumdem Chriſtum Dominum deſcẽdentem duplici gemmea corona, quas manibus geſtabat, iiſdemq; Beati Bernardi caput cinxiſſe aurea nimirùm, & aureola; erat ad Chriſti Domini dexteram Cæli Regina candida amicta veſte; à ſiniſtris verò aderat Archangelus Michael excipiens Beati Patris animam candida luce effulgentem, atquè ad Empyrij aulam euolantem ingenti Angelorum, & Beatorum turba conſtipante; quos inter videbantur clariſſimo fulgore ſcintillare Diui Benedictus, & Bernardus, exaudiebatur

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 3. cap. 19.

Hora tertia obijt B. Bern. qua Chriſtus Spiritũ ſanctum Apoſtolis immiſit. Apparuit in egreſſu animæ B. Bern. Ieſus, Maria, & Michael Archangelus

Viſa in egreſſu anima B. Ber. cæleſtis multitudo, inter quam Beatiſsimi Benedictus, & Bernardus Clarauallenſis.

batur mellifluus concentus per viam, per quam anima illa sãctiſſima progrediebatur. Frater Hieronymus Neapolitanus, & Chriſtophorus Bononienſis monaſtica vita celebres, qui peſte laborantes Beato Patri agenti animam intereſſe nequiuerant, teſtati fuere in Domino ſuis in cellulis, lectuliſquè pauperrimis eamdem viſionem ſummo ſtupore proſpexiſſe. Beata Ginoccia Ptolemæa, eiuſdem Beati Patris conſanguinea, cuius vitam conſcripſit Lombardellus, cum in domus ſuæ oraret angulo in eadem horæ morula, qua Fato ceſsit Beatus noſter Pater, vox ſibi intonuit clamans. Cælum ò Ginoccia ſuſpice, oculos leuato in ſidera. Ipſa ſurgens lumina actutùm in Cælum conuertit, notatquè cælitùs illuſtrata Beati Bernardi animam ad ſupremam beatitatis aulam per efflorescentes vias conuolantem, eaſdemq; voces audiuit, quæ in obitu Patriarchæ Diui Benedicti exauditæ fuere, nimirum: hæc eſt via, per quam Bernardus ad Paradiſum aſcendit. Frater Chriſtophorus ex familia Ptolemæa Ordinis Prædicatorum cum etiam peſte laborans ipſe animam ageret, dixit adſtantibus Religioſis inclytæ familiæ Dominicanæ animam ſe videre Bernardi Ptolemæi ad cælum conſcendentem ingenti pompa, & maieſtate. Et re vera fas erat, vt, dum Cælum omne progredienti Beato pandebatur, oculi etiam aperirentur pleriſquè ſanctis viris, qui Firmamenti ſunt ſtellę ad illum conſpiciendum. Interea effunduntur lugubres voces, & lacrymæ per Vrbem Senã;

B. Ber. anima viſa eſt conuolare ad Cælum, auditæq; ſacræ voces.

quare admirabundi omnes,antequam corpus illud Angelicum humaretur ad Diui Benedicti tēplū frequētiſſima turba conuenere,vbi Beati Patris cadauer ſabæū exſpirans odorē iacebat,nec ſolum Senēſes, ſed Exteri affluentes conſpergebant lacrymas,lamentabantur amiſſum Parētem egeni, infatigatum Opitulatorem miſeri,ſublimē Anteſignanum Cœnobitę,nobiliſſimum Patritiū Ciues, firmam columnam virtutes.Pergunt omnes illum veneraturi,quem benè credebant feliciſſimè donatum immortalitati. Deferunt humeris Monachi in templum feretrum,ſplendent accenſæ longo ordine faces,accurrit venerabunda non modo Senenſis Nobilitas,Præſules,Sacerdotes, ſed turba promiſcua, mulieres, infantes, Populus omnis, dant feretro plenis manibus lilia, oculis lacrymas, pectore gemitus, corde ſuſpiria, ſpargunt innumeros flores, ornantquè tumulum pretioſiorl ſiluarum, & hortorum illecebra. In preces fuſi cuncti, vel pedes, vel veſtes exoſculabantur, quiſquè vocabat in ſua vota Beatum Bernardum, tanquam aulæ cæleſtis glorioſum iam incolam. Summa vi cadauer fuit ſeruatum, omnes enim in illud impetum fecere aliquas excepturi ſacræ reliquiæ notas, humo tandem venerabundi Cœnobitæ Filij præclariſſimi Patris corpus recondunt; quod etiam ſuo tempore coli ipſe Pius II. Pontifex Maximus luculentè teſtatur. Hic Sanctorum finis. Qui es gelidus ardeas,qui ardes inflammare. Ne ſacram pœnitentiæ faciem horreas, pia eſt, amata, dul-

Confluit ad B.Ber. cadauer innumeri venerabūdi.

Pius II Pontif.Max de B.Ber. cadaueris cultu, teſtis luculentiſſimus lib. 2. comment.

cis, fugit momentum pœnæ, immortale eſt pondus lætitiæ.

Tertij Libri Finis.

BEATI BERNARDI PTOLEMAEI VITAE

Liber Quartus.

B.BERNARDI VIRTVTES.

Eius Humilitas.

CAPVT I.

OMnium virtutum baſis humilitas, in qua celſitudo erigitur, & faſtigium ad beatitatem, nec quiſquam ea ſinè vnquam Numini gratus, quod cùm in Cælo, tùm in terris humilia tantùm reſpicit. Emicuit hac in virtute mirum in modum Bernardus; quod ex dictis, & ex aliquibus mox dicendis innoteſcet. Quæ humilitatis exempla non præbuit in ſeptis Cœnobij Diui Dominici in campo regio, in quo molliores annos trãſegit? Quam humilitatem non redoluit in ſæculo adhuc ephe-

bus? Nouerat humanæ ſalutis infenſiſſimus hoſtis Satanas ſuperbiæ Pater, ſe tumidum ſeipſo è Cæli Empyrij apice deiectum fuiſſe ad ſulphureas Tartari valles; proindè non deſtitit vicibus alternis, humilitatis in Bernardum quatere fundamentum, vt, hoc labante, ceteræ euerterentur virtutes. Quod etſi in ſæculo ſemel eſt malignus, & vafer ſpiritus aſſecutus; tamen pientiſſimus Deus adiuuit cœcitate Bernardũ, ne apertis oculis pręcipitē daret ſeſe in mille vitiorũ ſcopulos. Reſipuit in caligine, & lucis cōpos vidit ſe Beatus Pater ſemper vno humilitatis oculo, quo vulneratus Deus virtutes ei auxit innumeras. Seipsũ Beatus Bernardus indefeſsè deplorabat peccatorem omniũ miſerrimum, indignumquè, qui non modò cęlũ Creatoris ſedem, ſed terram, eius ſcabellum, valleſq; illas, & rupes, quas incolebat, circumſpiceret. Sāctitatis principum eſt, aiebat, Theodoretus, infirmitatem ſentire. Vocabat ſe vnum imbecillum, inutilem in Domini vinea ſeruum. Et cum eſſet omnium in ſcientiarum generibus verſatiſſimus, geſſiſſetq; iam ſumma prudētia Seneſium Rempublicam, iuraq; ſanxiſſet admiranda; nihilominùs à ſuis Eremicolis ſocijs rogatus, vt eis leges præſcriberet aliquas, noluit tamen, ſæpè dictitans indigere potiùs ſtatuta accipere, quàm ſancire. Hæc ſuijpſius opinio abiectiſſimæ vilitatis erat in cauſa, vt eius verba humilitatem ſonarent, vel alios monendo, vel conſolando, vel ad quid exhortando. Nunquam laceſſitus, vel ab infimæ ſortis hominibus, excan-

Theodoretus in Hier. 3.

duit, eos vel floccifaciens, vel ſuprà alios de ſeipſo quid magni ſentiens. Renuit pluries, & pluries in alios regimen, etſi coactus toto ſuæ vitæ tempore conſtitutus fuerit ab Eremicolis, & Cœnobitis Rector, Caput, & Princeps Eremi, Cœnobijquè, quotānis tamē oneri, & muneri profuſiſſimo fletu renūciabat. Nihil in eloquio, in cunctis operibus Bernardo humilius. Oſtendit hanc virtutem multoties in abiectiſſimo prẹſtando famulatu, vel terram fodiens, vel ramos amputans, vel ſepes, & ſportulas texens, vel lateres coquens, vel curriculum deuehens, vel ligna ſuccollans, vel terram ſcōpis verrens, vel cetera ruſticalia exercens vir alioquì doctiſſimus, nobiliſſimus. Eamdemquè virtutem prætulit in infirmis tabefactis adiuuandis, in abluendis, detergendis, procumbens genibus, hoſpitum pedibus, eos demiſſiſſimè exoſculans. Sed quædam alia humilitatis ſigna infrà tangemus in miraculis ipſis, quæ diuino munere edidit, humilitatem redolentibus. Voluit ex die conuerſionis appellari (In fonte enim baptiſmatis dictus fuit Ioānes) Bernardus, quod nomen humilem fontem ſonat, vt in humilitatis virtute adamuſsim imitaretur Bernardum ſanctiſſimum Claræuallis Antiſtitem, qui & humilis fuit, & in ſcientijs, profundiſquè doctrinis fons vberrimus, Eremicola iuxtà, & Monachus. In aſperrima pœnitentia leniter deguit; vigil in ſuo munere, in orationibus, & ſtudijs, in ieiunijs, & flagris aſſiduus; à vino abſtinuit, cibi parciſſimus; pauperrimus cenſu, & ſpiritu, effuſus in cha-

Diui Bernardi Claræuallenſis imitatur B. Bern. eiuſdem laudes.

ritatem, & exemplar bonorum operum, huius tanti viri, Diuiq; imitator vſquè ad mortem noſter Bernardus, qui & obijt die eadem, qua Beatus Bernardus Claraualleſis.

Beati Bernardi ſobrietas, ieiunium.

CAPVT. II.

ieiuniū virtutum Patrons.

NIhil aptius ad vitia eradicanda, ad virtutes comparandas, quàm ieiunium, quo caro ceù in ſpiritū tranſit, vt velociùs mēs eleuetur ad Deum. Sic Moyſi, Eliæ, Samueli, Danieli, & ceteris ieiunio inſignibus, ſanctitudine præclaris arcana Dei fuere patefacta. Verè ieiunium cibus eſt animæ, quo ipſa enutrita nihil ſapit præter Deum. Claruit hac virtute Beatus noſter Bernardus; tempore enim eſuriali, vel quadrageſimæ quater tantùm in hebdomada cibum vel parciſſimè capiebat; bis nempè die Dominico, ſemel die Martis, ſemel die Iouis; ceteris vero diebus nihil penitùs deguſtabat. In peruigilijs à Sancta Eccleſia decretis, quatuorquè Anni temporibus ab omni cibo abſtinebat; Reliquis vero diebus hæc erant Beati Patris ieiunia, die Lunæ in honorem Archangeli Michaelis ſui peculiaris Protectoris, & Angeli ſui Cuſtodis, ſemel tantùm, & viliſſimè, & parciſſimè edebat; Die vero Veneris ob reuerentiam Seruatoris Ieſu Paſſionis nullo veſcebatur eſculento; Die vero Sabbati Virgini

Matri ſacrá inediam fortiter ſuſtinebat. Die Dominico,& Iouis cibabatur atro pane,& aqua pluuiali è Cælo collecta, quãdoq; ad sũmas delicias adhibebat ad esũ incõdita legumina,excuſſos ex arboribus fructùs, herbas,oleruınq; radices abſq; ſale,vel oleo,vel condimentis ceteris. Die tantũ Paſchatis ingenti data lætitia ob deuictã à Chriſto mortem, triumphanteq; de inferis,vnà cum fratribus,tanquam Ieſus cum Diſcipulis,parciſſimè paſchali Agno veſcebatur, & modico vino ità aqua delibuto,vt vix illius perciperetur odor, vel ſapor,refocillabatur. In itineribus euangelico conſilio nixus,quod ei apponebatur ſumma parſimonia deguſtabat.

In diuinas lectiones nauiter operam impendit B.Ber.

C A P V T III.

MIrificè oblectabatur Beatus noſter Pater Bernardus ſacra, diuinaq; ſcriptura, quæ eſt tutiſſima noſtræ vitæ regula,& ductrix. Dedignabatur iam in ſæculo profanis ſe doctrinis fuiſſe diſtentum, ſordè ſcebant ei ceteri calami, præter quos ſanctus Spiritus per Prophetas,& Apoſtolos exercuiſſet. Si in ſacra ſcriptione quid difficilis experiebatur, vt illud lucidiùs perciperet, ad orationem, ad peculiares preces, ad ieiunia confugiebat. Multoties ſeipſum pro trito labore in Academijs in ſæculo habitis increpabat. Me

miſe-

miſerum, aiebat, vt quid incaſsùm dies perdidi vanis in philoſophijs, in floſculis, & illecebris poeticis,& Muſarũ lenocinijs. Quid mihi cũ Mathematicis diſciplinis, & aſtronomicis? Quid in voluminibus Ethnicorum euolũdis? Quã partẽ habet infidelis cum fideli? Quæ conuentio lucis ad tenebras, Cæli ad terram, ſpiritus ad carnem? Quomodò conuenient Chriſtus, & Dæmon, Veritas,& mendacium, Aeternitas, & momentum? Quid Plato cum Euangelio? Quid Ariſtoteles cum Apoſtolo? Quid Ptolemæus cum Pſalmiſta, quid Bartolus, & Baldus litigantes cum Apoſtolis pacificis non habentibus argentum,& aurum, zonam, peram, calceamentum? Indutus Beatus noſter Pater Ieſum Chriſtum, cuius veſtes ſunt ſacræ litteræ, in has mirificè incumbebat,& ita illarum ſtudioſus erat, & diſcendi cupidus, vt multoties poſt ieiunium, & orationem, Mater lucis Beatiſſima Virgo, & Archangelus Michael ipſi apparuerint, & ſecretiora veteris, & noui teſtamenti arcana detexerint. Sic habemus, Diuo Thomæ Aquinati Doctori angelico (cuius doctrinã ſequebatur, & venerabatur Beatus noſter Bernardus, qui & ſuos Cœnobitas iuſſit illam ad vnguem ſequi) Petrum, & Paulum Apoſtolos difficillima ſacræ Scripturæ declarauiſſe. Poſt diuinorum voluminũ ſtudia, ſpirituales elucubrationes peragebat, & mirum hoc fuit in Beato noſtro Parente, vt ab eius præſertim conuerſione vſq; ad diem obitus ſemper aliquid voluerit, vel intra ſepta Cœnobij, vel in ipſis itineribus lege-

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 2. cap. 10.

re, ſi fortè à lectione ipſe eſſet feſſus, libenter alicuius Sancti, vel Sanctæ vitam audiebat, vt diſceret ex ijs, quæ alij ritè geſſere, viuere ſanctiùs, & progredi in viam Dei æmulator ſemper bonorum operum.

De Auſteritate eius vitæ.

CAPVT IV.

MEminerat Beatus Bernardus paludatas incoluiſſe iam aulas in ſæculo, ſomnum captaſſe molliter in eburneis lectis, ſericis in conopœis auro textis, laſciuiſſe inter tabularum picturata miracula: Tantam vitæ mollitudinem luxit Eremicola, defleuit Cœnobita, lectos illos luctus cadaueroſæ animæ appellabat. Quare in cauernula, ſpecuq; cretaceam effodit cellulam ità arctam, breuemquè, vt vix eum, exporrectis cruribus, caperet. Hoc in loco ſomnum inibat breuiſſimè, pro varijs picturis circumcircà collocauit cadauerũ capita, oſſa, fragmẽta. Lectulus ipſe ex eorũdẽ funeſtis cadauerũ oſſibus erat cõtextus. Vbi reclinabat caput, hæc verba deſcripſit: *Memento, quod mors non tardat.* Vbi verò extendebantur pedes hæc legebantur: *Memento mori, & non peccabis.* Circà verò ipſum lectum hæc notabantur: *Omnis homo fœnum, & gloria illius tanquam flos agri.* Stragula verò, qua tegebatur, horridum erat cilicium; ceruical ligneũ cylindrum, vt irrequie-

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 2. c. 11. & 12.

Somnus, & lectulus B. Ber.

Eccl. 14.

Iſai. 40.

tus eſſet in ipſa requie. Oſtiolum illius vel celluſę, vel tumuli, erat ex arbuſculorum ramis contextũ, nè quiſpiam ipſum orantem, vel flagro ſe cædentem ſpectaret, neuè à nemoris feris læderetur. Per totam noctem tres horas ad ſummum ſomno languidulè indulgebat, memor quod Arſenius Sanctus dixit, ſufficere nempè Monacho vnam ſomni horam, eſſeque Cœnobitas filios diei, & lucis, nõ verò noctis, & tenebrarum. Die Veneris Chriſti ruminãs angores ab exiguo etiam ſopore Beatus Pater noſter prorſus abſtinuit, inquiens, dedecere ſeruum dormire ea nocte, qua Dominus eius tot perpeſſus inter inimicos tormẽta vigiles traduxit horas. Sæpius, nè ſomno grauaretur, non iacebat, verùm ſedens capiebat ſomnulum; dixiſſes potius ſoporem illum ſomni imaginem, quàm ipſum ſomnum. Aiebat cum Diuo Bernardo Clarauallenſi, Monachum dormiẽtem mortuum eſſe Deo, ſibi, ceteriſquè inutilem; ſecùs dum vigilat. Multoties ſtans dormiebat alicui rupi, vel arboris trunco innixus, nè ſopor fortè protraheretur.

Effatum Arſenij Monachi.

Septies in die cædebat ſe ferrea, & ponderoſa catena, qua è membris copioſè ſanguinem excutiebat; ſepties enim, iuxtà Pſalmiſtam, Deum laudabat, & totidem arripiebat flagrum carnem laceraturus. Muſicam ictus illi efformabant, & melos erat omnibus numeris abſolutum auribus Dei dulciſſimè concinens.

Flagellis ſe cædit ſepties in die B. Ber. Pſal. 118.

Antequam monaſticum inſtitutum iniret pullo tegumento amiciebatur, horridoquè cilicio ad

Cilicio præcingitur.

nudam carnē adhibito, intorto ſune præcinctus, nudis pedibus, incompta coma; ſic & eius Eremicolę ſocij. Cum verò Cœnobiticū induiſſet habitum, horrentiori cilicio, & ferrea catena aſperiori pectus, humeros, & lumbos preſſit, & hypocriſim declinaturus, candida & mollia erant integumenta extrinſeca. Latens cilicium, & catena vſq; ad mortem, nemini, niſi Deo, & qui erat à confeſſionibus, & ſibiipſi innotuere. Poſt eius obitum ſciuere omnes, vt omnes inſignia, & inſtrumenta illius ſanctimoniæ venerarentur.

De orandi ſtudio, & diuinis contemplationibus Beati Bernardi.

C A P V T V.

CONtemplationis mater ſolitudo, & Eremus. In hac animus quieſcit, ſeq; ipſum ad altiora eleuat ſolutus ſæculi curis, & turbis. Vix explicari poteſt quantum in diuinis raptibus, rupiū, nemorumquè amantiſſimus Beatus noſter Pater profecerit. Totum tempus quod ei à precibus, & orationibus, quas vocales vocitant, & à concinendis pſalmis, vel ab operibus manuum ſupererat mentis eleuationibus ſolùm Deo fruebatur. Non erat quod vel intellectus, vel corporis oculis obijciebatur, & ad cæleſtia eius mens non efferebatur. Lilij candor ſpinis circumſepti, roſæ purpura aculeis obuoluta, violæ pallor, prati riſus,

Miræ B. Ber. contemplationes ex omnibus, quæ mēti, vel oculis obijciebātur.

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 2. cap. 5.

ſus, ruentis è muſcoſis rupibus argēteus riuulus, fluuioli inter ſaxula ſtrepentis fragor, ſqualor vallium, vel nemorum, arborum frondeſcētes comæ, mōtiū iuga, præceps aquarum inundantiū torrēs, ſpecus, & antri horror, Cæli aſpectus, Solis iubar, Lunæ fulgor, ſiderum radiantium ordo, elementorum diſpoſitio; ignis, aeriſq; leuitas, aquæ, terræq; grauitas, ceteræ creaturæ; Diuina Sacramēta, Sanctorum geſta, Angelorum Chori, Beatorū gloria, Dei maieſtas pernices erant pennę, quibus ad Creatorem euolabat Bernardi mens. Quæcūque ad mores, & ad virtutum incrementum ſapientiſſimè refundebat. Sed vnum ex multis ſufficiat hìc referre, ſuprà enim alia tetigimus. Die illa, quæ Innocentibus infantulis eſt ſacra ſumma animi intēſione meditabatur ſæuiſſimam cladem Herodis nefario patratam imperio, penſitabat minutatim Beatus noſter Pater quod geſlere vix hauſi lucem in lactea illa ætatula omnis voluntarij criminis expertes pueruli. Querebatur ipſe tanquàm omnium miſerrimus Peccator ſe conſiſtenti in ætate, anniſq; maturum, fractumq; nihil pro Deo ſuo tot gratiarū largitore peregiſſe. Hic inuidebat lilia illa dirè lacerata etſi purìſſima proprij ſanguinis eſſe cohoneſtata purpura. Adorabat eiuſdem ſanguinis omni murice tyrio pretioſiores riuulos, & guttulas effuſas in Chriſti Seruatoris teſtimonium fidei, vocabat ſtragem illam Innocentium auguſta incarnandi Verbi tributa. Miſerebat eum Genitricum infantulorum, inter quarum vbera trucidabantur cara pignora

Contemplatur B. Bern. Innocētium ſtragem, & à Dæmone ſæuiſſimè flagellatur.

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 2. cap. 15.

innoxio fœdata cruore machæris barbaris. Reboabant eius auribus gemitus, vlulatus, ſuſpiria. Cum has inter meditationes fluctuabundus verſaretur Beatus Pater, ecce proceriſſimæ ſtaturæ Dæmon impius, aſpectu nigerrimo, exſufflans ſulphureas ab ore, & naribus faces, oculos hinc inde ciens flammantes, cuius pedes capripedes, cuius frons armata cornibus, cuius manus horribili grauatæ flagello, & maſtige. Irruit rabidè, & horridè in Beatum Bernardum monſtrum tartareum, & nefario pede in terram ſternit, flagroque ſæuiſſimè percutit, crebriſq; flagellat ictibus ad numerum duorũ millium ducentorũ, ità vt ſemimortuus humi ſtratus iaceret liueſcẽtibus mẽbris, ore cruẽto; cumque ſurgere niteretur hærenti terræ manu, mox recidebat dolore, laſſitudine haud potens ſeipſum regere, vel pedibus conſiſtere. Sed ecce deturpato verberibus, iacentique penè exanimo Beato Bernardo apparuit Chriſtus Ieſus Cruci confixus à planta pedis, vſq; ad capitis verticem cruento purpuraſcens amictu, ità flagris dilaceratus, vt ſingula legerentur in humeris oſſa, liuoribus membra tuſa, ſputis erat fœdata facies, quẽ intuens Beatus noſter Pater in irriguas prorupit lacrymas, atq; in hæc verba. O mi Ieſu, ò Chriſte mi Redemptor, ò Cæli riſus, ò Angelorum decus, & amor, ò Empyrij venuſtas, & pulchritudo, candidus, & rubicũdus mi amor electus ex millibus, ò ſpecioſe inter filios hominum Verbum Patris, Fili Virginis quis te ad hæc adegit? Quis te ò beatitudo deturpauit? Agnoſco, agnoſco vulne-

Chriſtus Crucifixus apparet B. Ber. humi ſtrate verberibus, & doloribus cõfecto.

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 2. cap. 15.

Cant. 5.

ra hæc inter, & ſæuæ tuæ paſſionis angores, tuæ diuinitatis fulgores, & radios. Non habent hæc mea verbera verba, quibus tuam pietatem eueham, tuos dolores exprimam. O quàm malè, ò quàm diſſimile meum fragile corpus, hæc mea cōcuſſa caro flagellis, tuo exemplari collata, tuis membris ſciſſis, laniatis. O verè virum dolorum, principem angorum. O mi Ieſu nihil prorſus sũt, & apparent hæc mea vulnera, dum tua intueor Archetype tormentorum. O myrrhæ faſciculum poſthàc ſemper commoraberis inter meos amplexus, inter mea vbera. Ex tanta apparitione, ità repentè conualuit, vt ne veſtigium quidem liueſcentium verberum in Beati Patris membris cerneretur; quin vegetioribus viribus, atquè animo alacriori diuinis cōtemplationibus dedit operam paruipendens minas, & iras, & quidquid in ipſum moliri, & ſtruere ſurentia Dæmonum poſſent agmina.

B. Ber. Chriſtũ alloquitur.

Iſai. 53.

Cant. 1.

Diuina contemplans B. Bernardus perſæpè cœleſti corripitur ecſtaſi.

CAPVT VI.

SAEpiſſimè in ecſtaſim rapiebatur Beatus noſter Pater Bernardus ſublato è terra corpore, ſupinis manibus, in cęlum oculis defixis, eiuſq; anima inter Angelicos Choros Deo fruitura verſabatur, & admirabile fuit in ipſo vt ecſtaſes

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 3. cap. 10.

eni-

enixè, humillimè occultaret. Deus autem, qui ſeruum ſuū glorificare volebat etiam inter mortales degentem, multis ſpectantibus è terra fragilia carnis inuolucra ſæpiſſimè attollebat. Præfulgebat dies illa inter cæteras fauſtiſſima Virginis Matris ſacra natali, orabatq; meditabundus Beatus Bernardus, & intenſiſſimè ſolemnitatem Cælo, terræquè celeberrimam in ſuæ cellulæ angulo penſitabat, cum Ambroſius Piccolomineus cum Beato Patre acturus illuc perrexit, offēditq; Beatum Bernardum in aere pendentem brachijs expanſis, capite erecto, ad ſidera conuerſis oculis, fidenti ore, ceterùm videbatur tāquam lapis, & ſilex immobilis. Obſtupuit Piccolomineus, Deiquè fauores ergà Beatum Parentem admiratus feſtinauit, citiſſimè ſocium vocaturus Patritium de Patritijs, reuerſuſq; tandem vidit iam Beati Patris animam ad corporis munia rediſſe. Cognouit Beatus Bernardus Ambroſium ecſtaſis fuiſſe inſpectorem, & humilitate perfuſus aliquantulum ſubticuit, erubuit, lætioriquè vultu tandem dixit; En dulciſſimo ſomno Frater mi Ambroſi fui correptus, illumq; ſecretò alloquēs in hæc effudit. Cariſſime ſoci, qui in via Dei proficere exoptat Dei arcana, fauoreſq; cæleſtes ſilētio tegat, nec tu vocare debebas quempiam. Altera itidem die Chriſto conſcendēti in cælum dicata ecſtaſim pariter perpeſſus eſt Beatus Pater in ipſo odœo, omnibus Cœnobitis ſpectantibus, admirantibus. Die feſto Diui Benedicti Monachorum Patriarchæ cum oraret Beatus Ber-

Quò magis affluebat cæleſtibus fauoribus B. Ber. eò magis humilitatis exhibebat exēpla.

Celeſtes fauores humiliter contegit B. Ber.

nardus in ædicula Sanctæ Scholaſticæ, cuius ſæpè meminimus, viſus eſt pluribus è terra in altum elatus quatuor horarum periodo. Itidē die Diuo Bernardo Claræuallenſi Abbati nuncupata in ſpelunca, in qua orabat paſſus eſt raptum, conſtititq; in aere ſpiritus libratus dulcedine ab hora nonæ vſquè ad completorium. Reſurrectionis die Dominicæ poſt ſuſceptum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſtatim feruentiſſimo ſpiritu ſurſum effertur, Chriſtum Ieſum Cruci confixum amplectitur, cum ipſoquè viſus eſt Beatus Pater colloqui, etſi quæ dicebat à pluribus ibi adſtantibus non perciperentur, videbatur tamen oris ſuauiſſimus motus, cæleſtiſquè vultus hilaritas. Nimia teneritudine prouoluti in genua Cœnobitæ percutiebant pectora, fluentibus interim ex roſcidis oculis dulciſſimis lacrymis, fruebantur illo aſpectu, & ſpectaculo tanquam inter cælites eſſent, Dei mirabilium inſpectores, admiratores. Sed in ſe reuerſus Beatus noſter Pater Bernardus purpura humilitatis obſuſis genis, deiectis in terram luminibus, complicatis brachijs ad cellulam feſtināter pertexit, ibiq; triduo delituit, nec per id temporis quidquam vel comedit, vel bibit Paradiſi ſaginatus nectare. O felix anima, quæ in terris degens cæleſtibus veſcebatur, & adhuc viator gloriæ videbatur aſſecutus brauium! Inter multa hæc pauca ſufficit enarraſſe, vt ſciamus etiam in hac vita degentes ſeruos Dei perfrui riuulis Pelagi immenſi beatitatis.

Diui- I

Diuinitùs B. Bernardus cordis arcana dignoſcit.

CAPVT VII.

VNius Dei per omnia illabentis, ſuaq; ſciẽtia comprehendentis vniuerſa, eſt imperſcrutabilia cordium arcana, & abyſſos intueri, & noſſe obſcuriſſimas; non tamen eius vis ità coercetur, vt impertire nequeat creaturis quod ipſe ſuoptè ingenio, & ſua virtute poſſidet. Elargitus eſt igitur ſua munificentia Beato noſtro Patenti Bernardo hoc munus, vt cordium ſecretiora penetralia multoties penetraret, atquè detegeret. Quidã Monachus genere Sarmata nomine Placidus è ſuæ Patriæ longiſſimis tractibus ad Acconenſes valles pertrexerat Chriſto Ieſu deſerto in loco deſeruiturus, cumquè plures per menſes monaſticum geſſiſſet habitum à malo Dæmone tentabatur, vt abiecto cœnobitico indumento, & poſthabito Eremo, ad ſæculum quantociùs reuerteretur. Beatus noſter Pater cęlitùs irradiatus nouit quid Placidus mente reuolueret, quare, duobus adſtantibus Cœnobitis, ſic eum alloquitur. Placide fili voluntarias oblationes ſuſcipit Ieſus, qui voluntariè nos genuit, & ſua ſpontè pro nobis Deo Patri in Cruce oblatus eſt, neminem ipſe cogit ad ſui in his nemoribus, & rupibus famulatum. Quid ergo ſic mente hæſitas? Quid

Greg. Lombard. in vita B. Ber. lib. 2. cap. 13.

Iacob. 1.

Iſai. 53.

non hinc abis, ſi liberè Deo inſeruire non ſtatuis? En patent fores, quis te detinet? I, diſcede, abi. Micabant è vultu, oculiſquè ignes, & radij, cum hæc Beatus Bernardus loquebatur; ſciebat enim fratrem illum non eſſe è ſacris ſeptis diſceſſurum, etſi malus Dæmon omnem lapidem mouebat, vt ſacram ſolitudinem ille desereret. Obſtupuit Cœnobita cordis ſui cogitationes nemini ab ipſo detectas, ſic benè Beato Patri innotuiſſe. Erubuit de ſui tepore, & ad Dei viri humillimè procumbens genua, & pedes, veniam precabatur pollicitus ſe in Dei ſeruitio in Religione perſeueraturum, in qua, & ſanctè vitę curriculum tranſegit, & in Domino tandem obijt. Frater Damianus Venetus ab eodem Dæmone fœdis cogitationibus diriſſimè quatiebatur, nec tamē vim omnem ad eas propulſandas adhibebat; cui ad ſe vocato B. Pater Bernardus ait. An ignoras, quæ Christus protulit, arborem nempè non ferentem fructus eſſe recidendam, radicitùs euellendam, atquè
Matth. 3. demum proijciendam igni? Non audiſti ſeruum
Matth. 8. inutilem torpentem ocio, ligatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores, vbi eſt fletus, & ſtridor dentium detrudendum? Non eſt nobis ô Fi-
Ephes. 6. li in harum vallium vallo colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates tenebrarum harum. Putaſnè tibi oſcitanter vitam ducenti paratum gloriæ ſertum? Quid non abigis vmbras illas fœdiſſimas, quas ad tui perniciem tuæ menti immittit Satanas? Diſcute caliginem, vt ſis verè filius lucis. Fla-

gris,

gris, & ieiunijs precibus, & ſuſpirijs euaneſcunt prauæ cogitationes, enutriuntur ocio. Obſtupuit Cœnobita ille, quod Bernardus ſic probè ſciret, quæ ipſe mente voluebat, egitq; pœnitentiam, & alacriùs Deo exhibuit famulatum Beati Patris monitis adhęrens. Catharina ex nobiliſſimo Ptolemæorum ſtipite, & Beato Bernardo conſanguinea cum eiuſdem quadam die feruētioribus precibus commendaret quamdam clariſſimam feminam innumeris preſſam ęrumnis, reſpondit noſter Beatus. Quid mirùm ò Catharina ſi tot diuexatur angoribus, quæ meis indignis orationibus commendas? Meminerit benè nobilis iſta mulier in adoleſcentia ſe vota Deo nuncupaſſe, & pollicitam inter ſacra clauſtra vitam ducturam, & nihilominùs voti contemptrix ſponſo terreno nupſit; ærumnarum ſpinæ è peccati radice germinant. Caueat nè defuncto ſponſo (morietur enim quàtociùs) alteri nubat, vt ipſa iam decreuit, violento enim letho peribit. Nimio ſtupore Catharina correpta quomodo voti emiſſi ab illa femina eſſet Bernardus conſcius. Fato ceſſit ſponſus, & pia mulier, Mūdi floccifactis ludibrijs, vni Deo ſeipſam ſacrauit iuxtà Beati Patris conſilium, & ſanctè nouiſſimos vitæ dies concluſit Cæli gloria fruitura. Quidam Auguſtinus de Luciniano Beatum Bernardum humillimè adiuit, & poplitibus flexis veſtes, manumquè exoſculatus in Crucem efformatis brachijs rogitabat, vt ipſum inter ſacra teſqua reciperet, in quibus Deo ſeruire ſtatuerat omnibus, vel abiectiſſimis in operibus vitam trā-

ſacturus, vt poſt momentaneos in Eremo labores perennem in Empyrio coronam conſequeretur. Cui Beatus Pater reſpondit. Quid effutis miſer? Non ex corde efflagitas habitum, nequè hùc pertexiſti Deo famulaturus, ſed vt hominum vindicem iram declines. Abi hinc, & quod ſurripuiſti, redde. An putas confugium, aſylumq; eſſe ſceleſtium, & malè operantium Religionem. Pœniteat te malè geſtorum, & ſanctæ conuerſionis veſtem depoſces, vt defleas, quæ contrà Deum, & proximum molitus es, & malè patraſti. Ille rubore obfuſus, ſtatimatquè diſceſſit. Nobilis vir Mediolanenſis ait Beato Patri ſe à Deo vocatum, vt in Oliuetano Ordine religiosè viueret, quare ſupplicitet monaſticum indumentum flebundus petebat ſubdens, nè me pijſſimè Pater proijcias, nec me certè proijcies ſi verus es Chriſti Domini imitator, ipſe enim dixit, qui venit ad me non eijciam foras. Quem intuens graui ſupercilio Beatus Pater ait. O fraudis plenam petitionem! Guelphica factio te hùc miſer deſtinauit; vt noſtros ritus, & mores perſcruteris, vt contrà Eremum quid moliaris. Reſponde his, qui te miſerũt nos hoc deſerto in loco pro Mundi ſalute, & inſectatorum preces ad Dei pedes iugiter effundere; tu vero ſi Creatori famulatũ exhibere volueris, fuge Mundi tecnas, & fraudes, exue lupi mores, quos pelle tegis ouili. Homo ille mirabilia Dei faſſus, qui ſeruis ſuis machinationes detegit, à Beato Bernardo veniam petijt, & ab Eremo diſceſſit.

Luca 24.

Quanto amore in Deum, ac proximum efferbuerit Beatus Bernardus:

CAPVT VIII.

EX ijs, quæ pro Deo reliquit in ſæculo oble-ctamenta, opes, delicias, ex nobili honorũ, ac dignitatum repudio, ex ſuiipſius generoſo cõtemptu liquet noſſe, qua charitate, quauè dilectione ergà Numen æſtuauerit Beatus Pater. Ab incendio enim diuini amoris nunquam feriabatur. Nullæ erant aquæ; quæ extinguere poſſent ignem ſolicitæ ſuæ charitatis. Totus in Deum raptus, mira cæleſtium delibutus dulcedine, quæ Dei tantùm erant ſapiebat, anhelabat. Quoties verba Doctoris gentium repetebat; Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto? Quoties cum eodem. Quis me liberabit de huius tetro, fœdoq; carnis carcere? Quoties cum Pſalte Regio, Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Quoties cum eodem. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt? O Deus meæ vitæ vita, diſrumpe huius vitæ ligamina fragilis, vt tibi perenni vitæ viuam. Quid mihi cum hac vitæ vmbra, O mi Sol, ò mea ſine caligine lux? Nulla Mundi occupatio euocabat Beatum Patrem à Dei meditatione, ab amoris igneis iaculis, hinc tot raptus, tot ecſtaſes, tot cæleſtia deliquia. Hinc tantus ardor Catholicæ Fidei, Eucharistici panis cultus

Philip. 1.
Rom. 7.
Pſal. 72.
Pſalm. 119.

exi-

eximius, Virginis Matris, & Sanctorum, reliquiarum, & ſacratum Imaginum veneratio, tanta ergà Præpoſitos, qui Chriſti vices gerunt, obtemperatio, tanta paupertas cenſus, & ſpiritus. Circumuentus falſis criminibus geſtiebat lætitia memor quod per ærumnarum pelagum, per iniurias, & malam famam ad littus omnimodæ pacis, & ad Dei conſpectum peruenitur. Triumphabat in Mundi ludibrijs, in tot ſui corporis lanienis. De Torrente riguo diuinæ voluptatis iugiter ebibebat. Nihil quærebat, niſi Dei gloriam. Laceſſebat Dæmonum legiones, vt legitimè militans corona immortalitatis perfrueretur. Dirè torquebatur ex vnius peccati memoria quippequo Deum ſummum bonum læderetur, cuius præſentia ſemper ob eius oculos verſabatur, qua ſeipſum componebat tanquam rationem de omni re, vel leuiſſima labecula redditurus. Ex hoc amore mira oboriebatur ergà proximum charitas, inhiabat omnium ſaluti, volebat, vt diſiectis culparum tenebris, omnes æternam illam lucem agnoſcerent glorificarent, & in centro illo beatitatis humanũ genus ad Dei imaginem efformatum conquieſceret. Hinc tot cõciones, tot preces, vt Dei vindicem iram flecteret, peccatoribus ignoſceret. Hinc tot labores ſuſcepti, tot effuſi ſudores, tot itinerum diſcrimina, tot exempla bonorum operum exhibita. A ſalute proximi nec fames, nec ſitis, nec pluuia, venti, vel niues, frigus, vel æſtus, homines, vel Dæmones eum detinebant. Nec modò in animæ ſalutem nauiter dabat operam,

ſed

ſed in ipſis corporibus ſubleuandis quod clariſſimè patet in ijs,quæ ergà ægrotos ipſe geſſit; cum enim,vt ſuprà faſſi ſumus, tota Senenſis Ditio lethali peſti eſſet obnoxia Beatus Pater, & ſuos Monachos filios in Chriſto genitos tabefactis opem laturos deſtinauit, & ipſe omnium primus in eorumdem curam indefeſsè ſe dedit,ità vt tabe confectus (neſcio an dicam mortifera, an ſalutifera) in rogo charitatis animam efflaret, verè Martyr Amoris.

Beati Bernardi corporis habitus, ſtatura, & aliquę animi dotes.

CAPVT. IX.

EFfigies Beati noſtri Conditoris Bernardi colligi poteſt ex ijs,quæ antiquiores exprimunt de illo picturæ, vt in cathedrali Senæ templo, vbi inter ceteros illius Vrbis Diuos, & Patronos ſpectatur ſanctitudinis inſignibus honeſtatus Beatus Pater.Itidem in cœnobio Oliuetani Ordinis Principe. Similiter in vetuſtiſſimis Diui Bernardi Arretij ſeptis,vel ædiculis,paſſimquè alijs in locis.Circumferũtur plurimæ etiam Imagines eiuſdem typis cuſæ.Staturæ fuit proceræ,& benè compactæ, fa iei decoræ, & magnæ, & ad proportionem aliquantulum oblongę,& ex ſenio rugoſæ,coloris ſubfuſci pallidi,pellis oſſi hærentis. Inerat eidem ſinciput decoratum caluitie,

frons

frons lata, naſus aliquantulum oblongus, oculi nigri, & ſemper ferè flebundi, os mediocre, labia aliquantulum tenſa, collum latum. Actio grauis, & maturitatem præferens, & ad monaſticam ſeueritatem tendens, ingenium perſpicax, & in peragendis negotijs religioſè verſatum, comitas timorem, & amorem incutiens. Dixiſſes ab aſpectu virum ad Dei gloriam exortum, ad diſciplinæ cœnobiticæ reparationem, ſacræ Patrem Eremi, ſpectaculum tandem pœnitentiæ.

Quarti Libri Finis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BEATI BERNARDI PTOLEMAEI SENENSIS VITAE

Liber Quintus.

BEATI BERNARDI MIRA.

Ad necem penè vulneratò ſanitatem reſtituit.

CAPVT I.

SI ritè tota Beati noſtri Patris expendatur vita, fateri debemus, eandem penè fuiſſe miraculum. Homo ferè non edens, non bibens, inſomnis, cilicio maceratus, catena præcinctus, macie confectus, coopertus flagris, orationi, contemplationi addictus, pænitentiæ imago, Deo viuus, Mundo defunctus, ſepultus in vallibus. Hæc omnia mira ſunt. Voluit tamen Deus, coruſcaret nihilominùs admirandis ſignis, & virtutibus, vt

ſerui ſui ſanctitudo cunctis amplius innoteſceret, quæ in huius opuſculi calce breuiter recenſemus.

Gregor. Lombard. in vita B. Ber. lib. 3. cap. 14.

Degebat Beatus Bernardus adhuc Eremita inter Acconenſes rupes, & barathra, cum vnus ex ſuis ſocijs deſerti illius incola, Pacificus nomine, arborum ſtipites, truncoſquè ſecuri cædens ad ignis vſum, ſeipſum ità acerrimè ferro illo percuſſit, vt ſpaſmo penè terræ ſtratus periret; altero enim pede quislibet eum deſtitutum proculdubio ex illo ictu putabat. Beatus noſter Pater vulnerati miſertus lineis fruſtis veitur concrematis, oleoq; lucernæ (quaſi verò tali pharmaco, & medicamine foret ille curãdus) factoq; ſanctiſſimo Crucis ſigno, conualuit Pacificus, omniſq; dolor, & vulnus, & cicatrix ſtatim euanuit. Egit Deo gratias innumeras Beatus Pater, rogauitq; fratrem illum (ſtudiò tegendi miraculum) vt pedem iam vulneratum faſcijs obduceret. Quod libenter præſtitit ſeruo Dei obſecuturus.

Dæmones à corporibus obſeſſis ſigno Crucis expellit.

CAPVT II.

Gregor. Lombard. in eodẽ libro, & capite.

AVenione rediens, quò maturauit à Ioanne XXII. Pontifice Max. vti diximus, accerſitus, cum Vercellis eſſet, quæ eſt Vrbs Tranſpadanæ Italiæ, fit ei obuiam quædam mulier diriſſi-

mè à Dæmone vexata. Spumabat ore, extorquebatur hinc indè, ſe ſciens miſera, paſſis crinibus, oculis ad horrorem vibrantibus. Aitquè Beato Patri, ò ſerue Dei impende mihi tua dextera benedictionem, quà data ſigno Crucis, aufugit illicò malus Dæmon toties à deſerto eiectus; & de quo toties retulit Beatus Pater triumphum. Præcepit Beatus Bernardus mulieri, nè alicui miraculum detegeret, ſed tuba fuit mulier, & Dei admirabilium, & Beati Patris ſanctitudinis buccinatrix.

Signo Crucis febrem arcet.

CAPVT III.

QVidam frater re, & nomine Bonus, quartana laborabat; alternisq; vicibus frigebat, & æſtuabat. Indigebat eius opera Beatus Pater, cūq; ille lectulo ſtratus, fractus viribus, ad labores fateretur ſe ineptum, nec cœnobio deſeruire poſſe: Surge, inquit, dato Crucis ſigno, Beatus Pater in nomine Ieſu, qui eſt omnium ſalus, & vita, & reſurrectio noſtra. Vix prolatis his vocibus, ſtatim ille ſurrexit tanquam nulla febre correptus, & ſanus, & viribus pollens munia, quę ei præceperat Beatus Bernardus, hilarè obiuit, nec vnquam, eo tempore febris illum detorſit.

Idem Lombard. eodem libro, & capite.

Cæco lumen reſtituit.

C A P V T IV.

Lombardellus ibidem.

CVm eſſet Beatus Bernardus Sutrij (cuius Vrbis Hetruſcæ ſuprà meminimus) vbi celeberrimus eius ſanctitudinis percrebuerat rumor; quidam nomine Romulus, oculorum orbatus luce, aliorum ductu ad Beati Patris pedes feſtinãter p̄rexit, & ad eos genibus p̄uolutus rogitabat, vt ſuis p̄cibus à Deo amiſsũ lumen ſibi impetraret. Cui Beatus Bernardus reſpõdit, effũde tu preces tuas vnà cum ſuſpirijs, & gemitibus, & corde omni culpa abluto, coram Beatiſſima Virgine Matre, & exaudieris; ipſa enim, quæ veram lucem peperit, mihiq; in tenebris iam verſanti lumen reddidit, viſus etiam te compotem faciet; ipſe verò Beatus Bernardus pro cœco orauit, nec ab oratione deſtitit, donec cœco illi lumen reſtitueretur, qui Beati Bernardi admiratus eſt ſanctimoniam, eiuſq; meritis viſum ſe recepiſſe teſtatus eſt.

Ex pituita claudicantem curat oratione.

CAPVT V.

EX pituita claudicabat deformiter quidam Monachus, nomine Marinus Pariſienſis, & dolore maximo diſtorquebatur, qui Beati Patris precibus humiliter ſe commendabat, vt dolor ille, vel penitùs euaneſceret, vel miteſceret aliquantulum, cui Beatus Bernardus: Indignus, inquit, ego ſum peccator miſerrimus, qui à Deo exaudiar, meliùs tu ab eodem gratiarum largitore, ò fili, obtinebis, quod petis. Orauit tamen Beatus Pater, & infirmo claudicanti Fratri impetrauit optata. Greg. Lombar. in lib. 3. cap. 14.

Dat præcipitem Dæmon ad mortem quemdam cæmentarium qui B. Bernardi precibus vita potitur.

CAPVT VI.

CVm tẽplum in Oliuetano Ordine Princeps inter Acconenſes rupes exædificaretur, ſæuientibus, ira actis ſtygia in ipſos parietes, Dæmonibus, vnà cum lateribus, lignis, ſaxis, raſtriſq; datus eſt præceps quidam ex cæmentarijs, nomine Stephanus è valle Luciniana, interquè illas Greg. Lombar. ibidem.

rui-

ruinas,lapſuſq; & fato fungitur,& inuenit pariter tumulum. Ingemuit Beatus Pater,& flexis poplitibus, expanſis manibus, lacrymarum imbre irriguis oculis, enixè orauit, donec Ieſus vitam reſtitutam defuncto ipſi reuelauit, qui ad cadauer illud pergens, vbi plurima lugentium turba aderat,tetigit manu pectus,& adſtantibus ait: Ceſſate à lacrymis,non eſt hic mortuus,ſed viuit: percipio manu alternos cordis ictus; & hoc præſtitit,nè ſuis vel meritis,vel precibus vitam Stephano datam quis excogitaret,vel fateretur. Plura in vita præſtitit Beatus Bernardus, & præcipuè virtutem ei largitus eſt Deus, vt omnes febribus laborantes, vel ſuarum tactu manuum, vel qui eiuſdem tetigiſſent veſtimenta,curarentur.

Idem in eodē libro, & cap.

Peſte laborantes ſanitati reſtituit.

CAPVT VII.

NOn modò cum inter nos degeret mortales Beatus Bernardus miraculis plurimis perclaruit,verùm poſtquàm eius anima euolauit ad Cælum,iiſdem nobiliſſimè coruſcauit;antequàm enim illius cadauer tumularetur, voluit Deus, eius ſanctitas nouis innoteſceret ſignis. Fratres Hieronymus Neapolitanus, Chriſtophorus Bononienſis, Gregorius Pauenſis, Ranerius Romanus, omnes Oliuetani tabefacti, & morti propinqui vt vt potuere greſſus trahētes anhelos perre-

Greg. Lombard. in vita B.Ber. lib 3. cap. 20. & vltimo.

xere ad Beati Patris cadauer, exoſculaturi in fe-
retro iacentis manus,& effuſi in ſuſpiria,& lacry-
mas aiebant. O Pater,ò Dux noſter,mortuus es,
& cui nos deſeris? Statim atquẽ tetigere cada-
uer,fuerunt à tabe,peſteq; liberati, & multos an-
nos in Domino vitam duxere.

Areſcentem manum priſtino vigori reſtituit.

CAPVT VIII.

ANtonio de Chino Senenſi manus dextera aruerat, multiſquè annis ſuæ familiæ inutile pondus vixerat, hic magna fide Beati Patris mox tumulandi veſtes humillimè tetigit. Mirùm, reuiruit manus,& iam ad ſua munia redijt,ingenti ſui,domuſq; totius lætitia. *Greg. Lombard. eodem lib. & cap.*

Cingulo Beati Bernardi Dæmones eijciuntur.

CAPVT IX.

IOanna Petri ex Bonconuento, Tuſciæ oppidulo,multis annis fuerat à Dæmone torta,qua ad Beati Patris cadauer ducta; vlulatibus cuncta replebat malus Dæmõ;quo arrepta mulier miſerè fremebat requiei impatiens, ſed cingulo, quo Beatus Pater ſe præcingebat circumligata ſtatim diſceſſit Dæmon, & femina illa Deo omniu m *Greg. Lombar. ibidem.*

Authori gratiarum, & eius ſeruo Bernardo gratias reddidit.

Sanguinis fluxum patiens corpus Beati Bernardi inuiſens curatur.

CAPVT X.

FAuſtina de Monte Sancti Sauini quatuor annos fluxum ſanguinis fuerat perpeſſa, perperàm Medici medicamina plurima ad illius adhibuere curationem; ipſa verò auditis Beati Patris ſanctitudine, & miris, quæ ob illius merita operabatur Deus ad Beati Patris corpus orabunda peruenit, & ſtatim ſanguinis abijt fluxus.

Idem Greg. eodē vltimo lib. & cap.

Hydrope femina laborans curatur.

CAPVT XI.

DOminica Griffoli ex Monterone hydropica videns tot miracula, quę operabatur Deus Bernardi Beati meritis ad illius corpus genuflexa orabat magna fide, vt ab infirmitate, qua detinebatur eius interceſſione liberaretur vix hac oratione prolata adepta eſt ſanitatem. Multa alia admiranda patrauit, & dum viueret, & poſt obitū, præſertim ergà tabefactos. Quæ narrauimus pauca fortè ſunt inter multa quæ Beati Patris noſtri meritis præſtitit admirabilium Author Deus, qui in Sanctis ſuis glorificatur eoſdem in Cælorum apice glorificaturus per æternitatem.

Greg Lombard. in vita B. Ber. lib. 3. cap. vltimo.

Libri Quinti, & vltimi Finis.

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

Bernardus in ſæculo.

EIus patria.cap.1. *pag.1.*
Bernardi Ptolemai genus.cap.2. *pag.9.*
Bern. Ptolemai mira conceptio feſtiuiſſimus natalis dies.cap.3. 16
Ber.pueruli in æde ſacra educatio, eius progreſſus in ſpiritus pietate, & ſtudijs litterarum. cap. 4. pag. 23
Ber.in patrijs laribus pubeſcens omnigenis ſtudijs impenſius operam nauat, mirè proficit, quæ diſcit vniuerſa ad Dei gloriam religiosè refundit. cap. 5. pag. 27
Puber Ber. in ſodalitio Sancti Anſani operibus pietatis ſtrenuam dat operam.cap.6. 32
Bern. nondum ephebus doctoratus laurea honeſtatur, & inter Cæſaris Equites aſcitur. Occupationibus

Equeſtribus diſtentus pietatis ſenſum inter arma tepeſcentem nouit.cap.7. 34
Diuina gratia munitus Bernardus militiam deteſtatur, ſecum ſermones miſcet pios, pietatiſquè operibus iterùm impenſiùs ſtudet. cap.8. 38
Ber. è cathedris docet publicè, eius doctrina vndiquè referta pietate. cap.9. 44
Bern. conſpicua munia Senenſis Reſpublica ſtatuit, deademq; optimè meritus iura plura ſancit, egregiè ſe gerit in omnibus.cap.10. 47
Hac inter glorioſa geſta, inani gloria, mali Dæmonis artibus miſerè ſuccumbit Bernardus. cap. 11. pag. 50
Multis intentus ludicris Ber. miſerrimè deſipit. cap. 12. 53
Ber. ad inanis fomitem gloriæ difficillima axiomata tradit diſcutienda, ſed diuinitùs excæcatus ſe omnium inſipientiſſimum, & miſerrimum nouit. cap. 13. 56
Ber. Ieſu, & Deiparæ votum nuncupat pro amiſſa luce, fitquè diuinitùs lucis compos. cap. 14. 60
Concio de Mundi contemptu in Schola ſapientiæ Senæ à B. Bern. Eremum conceſſuro habita. cap. 15. pag. 63
Bernardus pauper ad Eremum contendit. cap. 16. pag. 76

LIBRI SECVNDI.

B. Bernardus in Eremo.

B. Bern. in Acconam, vnà cum Ambroſio Piccolomineo, & Patritio de Patritijs Senenſibus, Deo deſeruiturus contendit. cap. 1. 79

B. Bern. in Eremo indumentum, corporis maceratio, vitæ genus. cap. 2. 82

Piæ B. Bernardi in Eremo exercitationes. cap. 3. pag. 85

Confluunt pleriquè in Acconæ valles B. Bern. viſuri, quos ille ad eremiticam vitam hortatur. Rogatus renuit ſociorum regimen, nec peculiares leges ſtatuit, conciones plures, & pias ad Eremicolas habet. cap. 4. 89

Venenata dona mittuntur B. Bernardo, vt pereat in deſerto, ſed diuinitùs ea dignoſcit; ſignoquè Crucis toxicum depellit. cap. 5. 96

Graſſantur adhuc mali Dæmonis inſidiæ, inhiatquè iterum Bernardi, ſociorumquè Eremitarum victoriæ. cap. 6. 101

A Dæmone malo tentatur, vt in laſciuiæ labatur cœnum, ſed diuino munere victor euadit. cap. 7. pag. 107

Cæleſtibus fauoribus poſt carnis victoriam Deus ſolatur Bernardum. E terra ad Cælum ſcalas argenteas videt erectas, Ieſum, Matremq; Virginem Scalarum faſtigio hærentes, & nouæ ſobolis habitus,

tus, & gloria apertiſſimè ei oſtenduntur. cap.8. pag. 112
Aerumnas patitur iterum Bernardus tanquam nouæ, & deteſtandæ ſectæ Princeps. cap.9. 115
Auenionem contendit B.Bernardus à Pontifice Ioanne XXII. præcipientibus litteris euocatus. cap.10. pag. 121
Narrantur aliqua, quæ B.Bernardo ſua per itinera obuenere. cap.11. 130
Arretium venit Bernardus, Antiſtiti Guidoni pontificias exhibet litteras. Triduanum indicitur ieiunium. cap.12. 134
Reducem Bernardum lætanter accipiunt Acconenſes Eremicolæ, quibus ipſe omnia aperit, quæ Summus Pontifex, & Arretinus Antiſtes decreuère, cuius nomine ieiunium, & orationem denunciat. cap. 13. 137
Beatiſſima Virgo Mater in ſomnis Arretinum Antiſtitem admonet quid de B.Bernardo, & de Acconenſibus Eremitis ipſa ſtatuerit. cap.14. 140
Guido quæ per ſomnium vidit B.Bernardo aperit, D.Benedicti regulam, candidas veſtes, & inſignia Religionis Deiparæ iuſſu tradit. cap.15. 143
Priuilegium B.Bernardo, & ſocijs conceditur extruendi templum, & vitam inſtituendi cœnobiticam. cap.16. 147

LIBRI TERTII.

B. Bernardus Cœnobita.

B.Bernardus Diui Benedicti regulam ab Arretino Antiſtite Guidone Petramalio iuſſa Deiparæ acceptam, fratribus exhibet obſeruandam. cap. 1. pag. 149

De Antiſtite conſtituendo vnà cum ſocijs agit B.Bernardus. Abbatis munus, & dotes ipſe ediſſerit. cap. 2. 155

Eligitur Primus Abbas Generalis Oliuetanus Patritius de Patritijs, Templum Deiparæ ſacrum extruitur, & humile Monachis Cœnobiũ excitatur. cap. 3. 158

Quod diu conſtruunt Cœnobitæ, noctu Dæmones deſtruunt. Fundit preces Bernardus Beatus, & à Deo loci cuſtos miſſus Archangelus Michaël tartareas fugat laruas. cap. 4. 163

B. Bernardus omnium conſenſu Supremus Moderator eligitur. cap. 5. 167

Montis Olineti Cœnobij in agro Senenſi, prout nunc extat, deſcriptio. cap. 6. 171

Singulis annis de more monaſtico ſe abdicans B. Bernardus regimine, à Monachis ſemper cõfirmatur. Cœnobiticam diſciplinã altiùs prouehit augetquè. cap. 7. 177

B.Bernardus oculis languens Cœnobitas obſecrat, vt à præſulatu ipſum eximant, ſed ab ijſdem, & pon

tificij

*tificij Legati authoritate iterum confirmatur. cap.*8. 181
*B.Bernardus ſocios Monachos Auenionem deſtinat, vt à Summo Pontifice diplomata impetrent, quibus Ordo Oliuetanus, & priuilegia à Guidone Petramalio Arretino Antiſtite conceſſa confirmantur. cap.*9. 184
*Plura Monaſteria ſuperſtite B. Bernardo Oliuetanæ Congregationi conceduntur. cap.*10. 187
*Ambitionis, & Auaritiæ tentatur B. Bernardus à Dæmone, ſed diuinâ gratiâ de vtraq; triumphum refert. cap.*11. 194
*Sutrium petit B.Bernardus iuſſu Summi Pontificis eius pudicitiæ malus Dæmon inſidiatur. cap.*12. *pag.* 197
*Vidit B.Bernardus Empyrij Reginam, à qua tutus de ſua ſalute redditur. cap.*13. 200
*Quædam arcana Deus B. Bernardo ante obitum maniſeſtat. cap.*14. 203
*Apparuit B.Bernardo Diuus Benedictus, eiquè diem ſui obitus patefecit. cap.*15. 204
*Cænobitis ad infirmos peſte laborantes deſtinatis, in ægrotantium opem ſe totum confert B.Bernardus. cap.*16. 207
*Tertiadecima die Auguſti. Monachis Senas in Cænobium Diui Benedicti aduentantibus diem, horamq; ſui obitus B.Bernardus aperuit, animamq; eius puriſſimam effudit. cap.*17. 209
*De quibuſdam miris poſt B.Bernardi glorioſum obitum, & de eius tumulo. cap.*18. 215

LIBRI

LIBRI QVARTI.

B.Bernardi virtutes.

EIus humilitas. cap.1. 219

B.Bernardi ſobrietas, ieiunium. cap.2. 222

In diuinas lectiones nauiter operam impendit B.Bernardus. cap.3. 223

De Auſteritate eius vitæ. cap.4. 225

De orandi ſtudio, & diuinis contemplationibus B.Bernardi. cap.5. 227

Diuina contemplans B.Bernardus perſepè cæleſti corripitur ecſtaſi. cap.6. 230

Diuinitùs B. Bernardus cordis arcana dignoſcit. cap.7. 233

Quanto amore in Deum, ac proximum efferbuerit B.Bernardus. cap.8. 237

B.Bernardi corporis habitus, ſtatura, & aliquæ animi dotes. cap.9. 239

LIBRI QVINTI.

B.Bernardi mira.

AD necem penè vulnerato ſanitatem reſtituit. cap.1. 241

Dæmones à corporibus obſeſſis ſigno Crucis expellit. cap.2. 242

Signo Crucis febrem arcet. cap.3. 243

Cæco lumen reſtituit cap.4. 244

Ex

Ex pituita claudicantem curat oratione. cap. 5. pag. 245

Dat præcipitem Dæmon ad mortem quemdam cæmentarium, qui B. Bernardi precibus vita potitur. cap.6. *ibid.*

Peſte laborantes ſanitati reſtituit. cap.7. 246

Areſcentem manum priſtino vigori reſtituit. cap.8. pag. 247

Cingulo B. Bernardi Dæmones ejiciuntur. cap. 9. pag. *ibid.*

Sanguinis fluxum patiens corpus B. Bernardi intuſens curatur. cap.10. 248

Hydrope femina laborans curatur. cap.11. *ibid.*

INDEX
Rerum memorabilium.

A

ABbas Generalis primus omnium inter Oliuetanos Patritius de Patritijs. pag. 158.
Acconenſis Eremi deſcriptio. pag. 79.
Adam poſt culpam viliſſimus terræ foſſor. 9
Aegypti Regni deſcriptio antiquitas, pulchritudo, feracitas. 13
Eius ſtemma luna. 15
Alexander Magnus moriturus Regno diſtribuit. pag. 12
Inſipienter dictus Magnus. 65
Dediſſet pro pallio Diogenis regiam clamydem. ibidem.
Alphonſus II. Rex Neapolis ad Montem Oliuetũ de eodem benemeritus. 174
Aluarus Epiſcopus Siluenſis de planctu Eccleſiæ. pag. 120

KK Am-

Ambroſius Piccolomineus ſecundus Abbas Generalis. 160
Angeli B.Bernardi comites. 127
Eum ſolantur in carcere detentum. 133
Anima quanti valeat. 73
S. *Anſanus Senæ Patronus ibi martyrio coronatur. pag.* 60
Antonius Burgenſis hiſtoricus Oliuetanus. 178
Anulus aureus digito inſertus nobilitatis argumentum. 15
Apoſtolica Sedes, quo pacto translata Auenionem. pag. 121
Ipſa vna eſt, quæ tribuit, & alimenta, & vitam. 184
Archangelus Michael B.Ber.Tutator. 196
Ariſtotelis præcipuos errore deplorat B. Bernar. pag. 28

B

Baiazetus Turcarum Imperator Tamurlani mancipium viliſſimum. 66
Baleſtriccus Ptolemeus ex Regio genere ſui ſtipitis Senæ primus. 14
Beliſarij felicitas, & miſeria. 65
Bellici apparatus deſcriptio. 36
S. *Bernardinus Senenſis ſeraphicæ familiæ inſtaurator.* 8
B. *Bernardi Ptolemæi encomium.* ibid.
Naſcitur ſæculo Eccleſiæ funeſtiſſimo. 19
Reparator inſtituti monaſtici. 21

Eius

Eius natalis dies feſtiuiſſimè celebratur. ibid.
Adhuc infans vagiens quid magni præferebat. pag. 22
Eius educatio in æde ſacra. 23
Operibus pietatis ſtudet, adbuc puerulus. 24
Litterarijs ſtudijs operam nauat. 25
Humilitas in ſcientijs. 26
Religioſum habitum inhiat. ibid.
Iuſſu Mini Genitoris clauſtra ſacra deſerit. ibid.
Impenſiùs ſcientijs vacat. 27
Quæ diſcit ad animi ſalutem, & Dei gloriam refundit. 28
Stagyritæ dogmata deplorat. ibid.
Platonicæ doctrinæ ſtudioſus. 29
Chriſtianos Philoſophos Aquilis, Gentiles comparabat noctuis. 30
In ius pontificium, & cæſareum incumbit. ibid.
Aſtronomicis moralibus, & theologicis diſciplinis operam impendit. ibid.
Eius nomen quaquę diffuſum. 31
In ſodalitio S. Anſani pietatis opera exercet. pag. 32
Exercitamenta virtutum in eodem ſodalitiō. ibid.
Inter cæſareos milites aſcitur. 35
Inter equos, & arma laſciuit. 37
Mollibus curis diſtinetur. 38
Iiſdem armis, quibus tepuerat ad diuina ardētius excitatur. 39

KK 2 *Mili-*

Militiam deteſtatur, & humiliter, quæ malè patrarat confitetur. 41
Impenſiùs pietatis operibus ſtuaet B.Virginis ſtudioſiſſimus. 42
In ſodalitio S.Mariæ de Scala Senæ, mira præbet exempla virtutum. 43
Quanta eius ſapientia. 45
E cathedris omnes ſcientias Auditores ſuos edocet. ibid.
Eius ſcientia habuit virtutem comitem. 46
Ad munia præclariora Senenſis Reipublicæ euehitur. 47
Multa decernit vt eadem Reſpublica immunis eſſet à vitijs virtutibus eſſloreſceret. 48
Multa miſericordiæ exercet opera. ibid.
Scientia miſerè tumeſcit. 51
Ludicris vacat. 52
Venatui piſcatui ſtudet. 53
Laſciuit in vigilijs nocturnis Senenſibus. 55
Superbia turgeſcens è cathedris de rebus abditioribus ſe promittit diſceptaturum. 57
Diuinitùs excæcatur. ibid.
In cæcitate ſuam agnoſcit miſeriam, & errores deteſtatur. 58
Quanta viderit in ſua cæcitate. 60
Votum nuncupat pro luce deperdita. 61
Fit lucis compos à B.Virgine. ibid.
Orationem habet luculentam de Mundi ludibrijs. 62
Omnia pauperibus erogat. 75
Habet comites in deſertum contendens Ambro-

ſium

ſium Piccolomineum, & Patritium de Patritijs. 77
Quo anno in deſertum ſeceſſit 82
Eius amictus, & vitæ auſteritas. ibid.
Eius contemplationes, & exercitationes in Eremo. 85
Notior in deſerto, quàm in ſæculo. 89
Ad Eremum aduenientibus dant monita ſalutis. 90
Reſpuit inter Eremicolas ſceptrum. 92
Pios ſermones habet de Eremitico inſtituto. 93
Epulas venenatas diuinitus agnoſcit. 100
Eis veſcitur, & non læditur. 101
Tentatur à Dæmonibus, vt deſerto Eremo ad ſæculum reuertatur. 102
Dæmones tentatores eijcit ab Eremo. 105
Fœda libidine à Dæmone tentatur. 108
Victor euadit. 111
Videt poſt victoriam erectas inter rupes argēteas ſcalas, & in cacumine Ieſum, & Deiparam, Angelos, & Monachos aſcendentes in albis. 113
Defertur, vt hæreſeos reus ad Sancti Officij tribunal Auenionem maturat. 123
Quanta in itinere toleret. 126
Ad pedes Summi Pontificis verba habet feruentiſſima charitatis, & humilitatis. 127
Taurini vt fur triduo in carcere detinetur. 132
Furem, & furtum diuinitùs patefacit. 133
Angelos habet in cuſtodia conſolatores. ibid.
Arretium pergit iuſſu Ioannis XXII. Summi Pōtificis. 134

Anti-

Antiſtitem Arretinum adit, eiquè exhibet liiteras pontificias. 135
Lætanter excipitur ab Eremicolis Aceonenſibus. pag. 137
Eius concio ad eoſdem. ibid.
Iiſdem ieiunium denunciat nomine Arretini Præſulis. 139
Cœnobitico habitu induitur. 146
Eius concio ad Eremicolas fratres mox induturos veſtem monaſticam. 150
Ad eoſdem ſermonem habet de conſtituendo Rectore. 155
Edocet verbo, & exemplo monaſticæ vitæ auſteritatem, & mores. 162
Eius humilitas quanta. 164
Omnium conſenſu vnanimi Abbas Generalis eligitur. 167
Eius modeſtia, & charitas. 168
Concionem habet ad Monachos. ibid.
Singulis annis monaſticoſe abdicat regimine. 177
Cœnobiticam diſciplinam mirè prouebit. 178
Oculorum lumine languet. 181
Habet donum lacrymarum. 182
Multa decernit Oliuetanis. 187
Fulſit vt Sol monaſticæ vitæ. ibid.
Multa pia cõſcripſit de vita monaſtica, ad principes viros. 192
Sua cœnobia in ſolitudinibus erigẽda curauit. ibid.
Ambitione, & Auaritia tentatur in deſerto à Dęmone. 194
Cognoſcit fraudes, & laruatos dęmones fugat. 195

Dirè

Dirè à Dęmonibus verberibus conficitur. 196
Ab Archangelo Michaele defenditur, & curatur. pag. ibid.
Dęmonem tentantem ſigno crucis fugat. 197
Sutrium iuſſu Summi Pontificis petit. ibid.
Pacem inter hoſtes firmat. 198
Tentatur à petulca femina, eamquè fugat. 199
Virginis Matris Aſſumptę in Cęlum gloriam videt. 201
Chriſti paſſionem lacrymoſiſſimè meditatur. 203
Eundem Chriſtus alloquitur. ibid.
Multa ei reuelat. 204
Preces effundit pro peſte Italiam, & Senenſem Rēpublicam deuaſtantem. 205
D. Benedictus ipſum alloquitur, & imminentem prænunciat obitum. ibid.
Pro mortis nuncio lętiſſimus. 206
Moriturus impēſiùs in operibus ſe charitatis exercet. ibid.
Cęnobitas ad ęgrotantium curam deſtinat. 207
Eius concio ad Monachos profecturos ad opera exercenda pietatis. ibid.
Omnium primus in tabefactorum curam incumbit. 208
Moriturus concionem habet ad fratres. 210
Sanctiſſimo Sacramento refectus inter crucifixi amplexus Monachis pſallentibus, & plorantibus agit animam. 213
Eius obitus ab omnibus lacrymas excutit. 214
Morienti B. Bern. apparet Ieſus, Maria, Michael Archangelus, S. Benedictus, &

S. Bernardus Claraeuallenſis . 216
Anima eius ad Cœlum conuolans multis viſa, pijs viris . ibid.
Eius cadauer piè colitur. 217
Quanta extiterit eius humilitas. 220
Cur appellari voluerit Bernardus in ſui conuerſione. 221
Mira abſtinentia eiuſdem . 222
Studium in lectiones ſacras . 223
Secretiora oratione aſſequitur. 224
Eius vitæ quanta auſteritas, ſomni parcitas, diſciplinæ cilicium. 225
Mirum orandi ſtudium. 227
Contemplans Innocentium ſtragem flagellis cæditur à Dæmone. 228
Perſæpè cœleſti ecſtaſi corripitur. 231
Cordis arcana dignoſcit. 233
Mira eius charitas in Deum, & proximum. pag. 237
Eius corporis effigies. 239
Multis miris, ſignis, & virtutibus coruſcat per totum librum quintum.

C

CArolus V. ad Montem Oliuetum. In Oliuetanos eius munificentia. 175
S. Catharina Senenſis virgo ſeraphica. 8
In Galliam cum Summo Pontifice agit de reſtituenda Apoſtolica Sede Romæ. 20

Chri-

Chriſtus in Cælum aſcenſurus ſuas oſtendit plagas. pag. 145
Chriſtus Crucifixus apparet B. Bernardo verberibus à Dæmone confecto. 229
Eundem Chriſtus alloquitur. ibid.
Chriſtus in deſerto Nazareth, & Aegypti eremiticam vitam ducit annos triginta. 106
Cleopatra nouiſſima ex Ptolemæis Aegypti Regina. 13
Infauſtum Orbis ſidus, monſtrum portentoſa libidinis. ibid.
Seipſam Aſpide necat. 14
Concio B. Bernardi ad ſeipſum laſciuientem in armis, veſtibus, & equis. 39
Ad ſeipſum diuinitùs excæcatum. 57
Eiuſdem concio de Mundi contemptu in ſchola ſapientiæ. 62
De perſeuerantia in Eremo. 93
Ad Fratres Eremitas. 137
Concio deferentium B. Bernardum ad Sancti Officij Tribunal. 115
Concio Ioannis XXII. Pontificis ad B. Bernardum. 128
Concio Guidonis Petramalij Epiſcopi Arretini ad B. Bernardum. 135
Corona Regum magis ſpinis, quàm gemmis texuntur. 68

D

Dæmon pro nihilo animam expetit. 73
Ementito vultu B.Bernardum,& ſocios monet,vt Eremum deſerant,& ad ſæculum reuertantur. 102
Subit puellæ formam impudiciſſimam,vt in laſciuiæ cœnum labatur B.Bernardus. 109
Crudelius ſæuit in Dei ſeruos. 115
Conatur vt B.Bernardus ab incepto itinere in Galliam deſiſtat, & nè Summo Pontifici pareat. 130
Charitatis oſor in monaſtica vita profeſſores ſæuit. 163
Quod Monachi extruunt per diem, Dæmones per noctem deſtruunt. ibid.
Tabellarium ſe fingit Dæmon ad perniciem B.Ber. 194
Vultum Ambroſij Piccolominei ſimulat tentaturus B.Bernardum. 196
Meditantem B.Bernardum Innocentium ſtragem ſæuiſſimè flagellat. 229
Darius aureis compedibus vinctus vulneribus confoditur. 66
Deus Mundo oſtendit humiles ſuos ſeruos etiam in hac vita effulgentes gloria. 89
Dei admirabilis in Catholicam Eccleſiam cura. pag. 20
Dei fauores,& arcana humili ſilentio contegenda. pag. 204

Dio-

Dionyſius Syracuſanus ex Tyranno ludimagiſter. pag. 66

E

ECſtaſis B. Bernardi multiplex. 231
Educatio filiorum in ſacris Religioſorum ſeptis mos laudabilis, & antiquus penes viros nobiles. 23
Elia ad Cælum euolaturus proijcit pallium. 75
Eiuſdem triumphantis deſcriptio. 39
Eremi felicitas. 90
Habet deſertum horrorem venuſtum. 91
Eremitæ ab Eremo diſceſſuri cæcitate plexi, precibus B. Bernardi lumen recipiunt. 106

F

FEſta in natalibus mos apud Barbaros. 21
Fridericus II. Imperator ex Gibellinis. pag. 98
Fuluia ex ſtipite Tancredorum Mater B. Bernardi poſt votum, fœtum gerit. 16
Eius ſomnium ſeù viſio de candidiſſimo Cycno. pag. 17

G

GIbellinorum, & Guelphorum in Italia factio ſeù ſecta. 97
Quàm pernicioſa, & execrabilis. 98

Gregorius XI. Apoſtolicam Sedem Romæ reſtituit. 201
Gregorius IX. concionem habet pro extinguendis factionibus pugnantibus pro Gibellinis, & Guelphis. 98
Guido Petramalius Epiſcopus Arretinus. 134
Eius concio ad B.Bernardum. 135 & 144
Idem Oliuetanis Arretij Cœnobium erigit. pag. 188

H

HAereſis quàm pernicioſa. 116
Quæ fuerit Fraterculorum Begardorũ, & Beghinarum. 120
Herodes nihili facit Regnum pro ſaltu. 71
Homo ne ſuperbiret diuina imagine, formatus ex luto. 10
Homo recturus cetera animalia illis ſapientior efformatus. 157
Humilitatis baſis virtutum. 219
Plurima humilitatis exemplũ exhibuit B.Ber. pag. 221
In ipſis cæleſtibus fauoribus humillimus extitit. 231

I

IEſus iturus ad Patrem deponit ſuas exuuias. pag. 75
Ieiunij virtus. 222

Ieiu-

Ieiunij laudes. 135
Prima lex in orbe lata fuit de ieiunio. ibid.
Iezabel è turris data præceps, fit canum cibus. pag. 68
Ioannes Columbinus Ieſuatorum Author. 8
Ioannes Baptiſta in deſerto, vt Meſſia adoratur. pag. 90
Ioannis XXII. ad B. Bernardum concio. 128
Ioſeph elabitur è manibus impudicæ mulieris facto Crucis ſigno. 76
Iridis mendax pulchritudo munda deſignat eius deſcriptio. 71

L

Libido omnium vitiorum ſpurciſſima. 108
Nec ſenectute perfracto parcit. 199
Luna ſignum nobilitatis, penes priſcos Romanos. pag. 15

M

Maria lucis Mater B. Bernardo lucem reſtituit. 6
Dicitur Mater lucis. 42
Apparet Epiſcopo Arretino, & quid ſtatuendum de Acconenſibus Eremicolis ſtatuit. pag. 140
Eius deſcriptio. ibid.
Ipſa prima fundatrix Ordinis Oliuetani. ibid.

Mariæ Virginis Aſſumptæ in Cælum videt gloriam B.Bernardi. 201
Eiuſdem deſcriptio. ibid.
Marij de Iugurta Triumphatoris infelicitas. pag. 66
Michael Archangelus cœnobium Montis Oliueti Tutator Dæmones fugat. 165
Eiuſdem militari forma deſcriptio. ibid.
Altare erigitur ipſi à B.Bernardo. 166
Minus Ptolemaus, & Fuluia Tancreda B.Bernardi Parentes. 15
Mitridates Rex Ponti ſibi mortem infert. 66
Monachorum hæreditas quæ. 181
Monachorum exercitamenta manuum ad otium fugandum. 170
Monachi Oliuetani extruunt Deiparæ cœnobium, & cellulas cœnobiticas. 160
Monachis cur detur tonſura, vel raſura. 169
Habent in raſura tonſuram. ibid.
Monachos ſolitudo decet. 192
Monothelitarum hæreſis. 6
Moyſes in fiſcellula vagiens Imperium præferebat. 22
Ab Aegypto egreſſurus tulit ſecum oſſa Ioſephi. pag. 76
Eius frons radiat, etſi velo præcingatur. 90
Montis Oliueti inſignia à B.Virgine traduntur, eſtquè eius Fundatrix. 141
Dicebatur prius Accona. 144
Eius ſtemmata myſterijs plena. 153
Eius deſcriptio. 181

Mun-

Mundus vniuerſus punctus. 65
Eius gloria, fumo ſimilis. 68
Similis ſomnijs. ibid.
In ſomnis oſtenſa. ibid.
Mundana omnia in cinerem tandem abeunt. 69
Mundus adorat, quē fugit, & odit. 192
Omnia, quæ in ipſo ſunt fragilia. 180

N

Nabuc ex homine, & Rege euadit fera, & viliſſima bellua. 67
Nobilitas ſpreta. 9
Vera in virtute ſita eſt, habetq; ab illa originē. ibid.
Nobiles ſæpe ex Nobilibus ortum ducunt. 11

O

Octauius Piccolomineus belgici belli gloria. pag. 161
Oliuetana Religio, quo tempore fuerit inſtituta. pag. 146
Quando confirmata. 184
Oliuetani Ordinis inſignia à B. Virgine traduntur, eſtquè eius prima Fundatrix. 153
Oliuetanis præclara priuilegia à Summis Pontificibus conceduntur. 186
Oliuetani exactiſſimè D. Benedicti regulam cuſtodiunt. 178
Admirabilis pſallendi ritus. ibid.

Eorum-

Eorumdem vigilia, & vitę auſteritas. pag. 179

P

PAtritius de Patritijs Senenſis primus Abbas Generalis Oliuetanus. 158
Eius laudes. 159
Pauonis deſcriptio, Mundi pulchritudinis imago. 71
Paulus III. Farneſius Cęnobium Montis Oliueti inuiſit. 175
Perſius Regis Macedoniæ Filius Fabriſerrarij famulus. 66
Piccolominei ſanguinis claritas. 161
Pius II. in eodem Cęnobio quomodo ab Oliuetanis excipitur. ibid.
Meminit in ſuis commentarijs eis cœnobium, illudque deſcribit. 176
Agit de Cœnobio S. Annæ eiuſdem Ordinis Oliuetani. 190
Cultum oſſium B. Bernardi memorat. 217
Plato multa ſupra Stagyritam agnouit ſacræ Scripturæ conſona. 29
Arridebant eius placita B. Bernardo. 30
Policrates Samniorum Tyrannus fune ſuſpenſus. 66
Pompeius Mundi Triumphator ſepulcro indiget. 65
Ptolemæi Senenſes ex Regibus Aegypti. 11
Poſt nauale prælium triumphante Auguſto eij-

ciun-

ciuntur à Regno. 14
Eorum in Vrbe Senenſi preclara monimenta. 15
Habuere multos ſanctitudine inſignes. ibid.
Eorum ſtemma. ibid.
Ad maxima nati. 46
Ex factione Guelphica. 99

R

Rebecca formoſiſſima deformoſiſſimi filÿ parens. 9

S

Saul ſeipſum interficit. 67
Scientia quàm neceſſaria Rempublicam gerentibus. 44
Humana immeritò dicitur ſcientia, cum nihil certi habeat. 73
Sæculum cœnobitici inimicum. 178
Sedechias ex Rege mancipium excœcatus diem obit. 68
Seiani infelicitas. 67
Sena B. Bernardi patria eiuſdem deſcriptio. 1
Eius poſitus. 2
Vrbs vetuſtiſſima à ſenio Remiſilio erecta. ibid.
Eius ſtemma, Lupa. ibid.
Sub Romano Imperio. 3
Sub Gothis. ibid.

Sub Græcis. 4
Semper conſtans in fide Catholica. 5
Sub Longobardis. ibid.
Condecoratur titulo Vrbis à Ioanne I. Pontifice Maximo fide Catholica imbuitur à D. Anſano. 6
Sena ſub Francis libertate donatur. 7
Armis, & viribus florida de Florentinis potitur victoria. ibid.
Diſcordijs ciuilibus ſciſſa Medicæo Imperio ſubeſt. ibid.
Illuſtris à togis, & ſagis, à purpuris, ab infulis, & ſacris viris. 8
Eiuſdem luctus ob B. Bernardi cœcitatem. pag. 59
Eadem hilaris ob reſtitutum eidem lumen. pag. 62
Eiuſdem ſqualor in obitu B. Bernardi. 217
Senenſes omnium Primi Oliuetano Ordini Cœnobium excitant. 188
Seruis Dei amara Mundi dulceſcunt. 84
Sodalitium Sanctæ Mariæ de Scala, Senæ ſeminarium virorum ſanctitudine illuſtrium. pag. 42
Exercitamenta virtutum in eodem. 43
Somnia iniecta à Deo, vera portendunt. 17
Oſtenditur multis exemplis. 18
Fuluiæ B. Bernardi matris ſomnij interpretatio. ibid.
Sponſa cæleſtis in canticis exuta pallium, ſponſum inuenit. 65

Exui-

Exuitur veſtem, vt eius pulchritudo innoteſcat. pag. 89
Superbia omnium malorum origo. 50
Superioris partes, quales eſſe debeant. 155

T

T Arquinius ſuperbus miſerrimè obit. 66
Tentatio ſeruis Dei vtiliſſima. 107
S. *Thomas Aquinas educatus apud Monachos Caſſinenſes.* 23
Thraces natalia deplorabant. 21
Quorum natalitia feſtiuè Eccleſia celebret. pag. 22
Tuſcia augurandi artis magiſtra, & inuentrix. pag. 8

V

V Enatus, & piſcatus ſtudia, & friuolæ occupationes. 53
Vigiliarum Senenſium deſcriptio: 56
Virtutis quanta ſit præſtantia. 99
Vitalianus Senæ Antiſtes Concilio Conſtantinopolitano intereſt. 6
Vitium aptiſſimum ad bonum nomen deperdendum. 56

Ze-

Z

Zenobia ex ſtipite Ptolemæo in triumphum ducitur ab Aureliano. 67